



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Christophori Longolii Lvcvbrationes**

**Longolius, Christophorus**

**Lvgdvni, 1542**

Christophori Longolii Civis Rom. Perdvellionis Rei Posterioris Diei Defensio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69441](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69441)



CHRISTOPHORI  
LONGOLII CI-  
VIS ROM. PERDV-  
ELLIONIS  
REI

POSTERIORIS DIEI  
DEFENSIO.



*Expone agn ab adversariis  
nam in eadem*

I QVANTA sit apud equos iudices innocentiae vis atque potestas, in aliorum periculis nunquam didicissem P. C. id mihi certe de capite atque existimatione mea hesterno die dicenti experiri licuisset: qui cum in iudicium tanta, quanta post homines natos haud scio an nemo, invidia pressus descendissem, idq; nulla dicendi facultate munitus, sed unà cum innocentia mea tectus, tum fide sapientia'que uestra fretus fecissem: tanto tamen sim à uobis silentio exauditus, ut non modo idem nunc sperem, uerum etiam ex hoc frequenti uestro conspectu, oculorum'que & animorum in me liberali contuitu, mihi persuadeam, heri atrocissimum illud habitae in populum Romanum concionis crimen à me dissolutum, atque grauissimas eòdem pertinentes istorum suspitiones discussas fuisse. Quo nunc scilicet in eam quoq; spem facile adducor, ut iudicij huius exitum nobis ex animi sententia hodie processurū existimem. Restat enim ut ijs criminibus respondeam, quibus non tam peccatum meum ullum accusatur, quàm uestrum P. C. factum reprehenditur: quasi contra legitimum Quiritum ius, homini Gallo, ignobili ac literarum uestrarum plane experti ciui



ti ciuitatem Romanam sitis elargiti. Quæ omnia cum fal=<sup>tefultus aduersa</sup>  
 sa sint & uana, idq; me uobis hic statim ostensurum con=<sup>obuentiones</sup>  
 fidam, peto à uobis, ut uos mihi in communi crimine tam  
 faciles hodierno die impertiamini, quàm hesterno, aduer=<sup>æquos potestudine</sup>  
 sum me, cum unus ego reus ab istis agerer, æquos discepta  
 tores præbuisstis. Quid ais ingeniose adolescens? homi=  
 nem Gallum ciuitate donari non potuisse? Quid si me Se=  
 natus sciens & prudens quasi Gallum in ciuitatem accer=  
 siuit, in amplissimum ordinem, ut iuris ciuili, moris ma=  
 iorum, rei denique publicæ imperitum tu coargues? tu ad  
 decretum publico consilio factum, turpiter rescindendum  
 compelles? An aduocatis tuis, cum hæc tibi disputanda  
 ediscendaq; proponerent, illud in mentem nunquam ue=  
 nit: me, quem contra ut diceres, comprobare, huiusmodi  
 argumentatione laudatum, eos apud quos dicturus eras,  
 summopere uituperatum iri? Etenim si à cõdita urbe ego  
 Gallorū omnium unus Patrū decreto dignus ciuitate Ro.  
 sum habitus, quid me lautius atq; honestius? quid Senatu  
 ipso, si me cõtra ius omne atq; fas accersiuit, fœdus atq;  
 turpius? Atqui nolo hinc tibi inuidiam apud eos confla=  
 re, quorum abs te & dignitatem & autoritatē oppugna=  
 ri non satis intelligis, dum id mihi publico consilio decre=  
 tum esse, quod neq; licebat, neque decebat, imprudenter  
 affirmas. Quinetiam illud omittam, quod quidem est to=  
 tius nostræ defensionis firmamentum & robur, non lice=  
 re priuato cuiquam, nec nisi Pop. Ro. in Senatusconsult.  
 inquirere. Esse duodecim tabularum legibus nominatim  
 cautum, populi iussu comprobatum, Imperatorum con=  
 stitutionibus sancitum, iure atque more maiorum ad hunc  
 usque diem usurpatum, ut amplissimi ordinis autoritas  
 rata habeatur, Patrum decreta legis uim sortiantur.

Res



Res igitur mecum tibi posthac erit. Quid porro fieri potuisse negas? homini Gallo ciuitatem communicari? At quis tibi ius istud descripsit? uerum illud prius de te quaero: esse me Gallum tibi qui constat? Nam si & C. Plinium & Aug. Caesarem orbis terrae descriptores diligentissimos consules, Germanum me esse respondebunt. Sunt enim eis Germaniae populi quicumque Scalden inter & Rhenum flumina habitant. In eo esse terrarum tractu (unde nos sumus) Macliniam (si nescis) Germanos ipsos percunctare: idem ab eis, quod de me audies. quin illud praeterea cognosces, Macliniam non linguae tantum sono ad Germaniam pertinere, sed etiam Caesarum esse ditiois, atque adeo uetus Romani imperij municipium: ut me fortasse communi illa & municipali lege, non iam ullo priuilegio ciuem Ro. appellare fas sit. Sed sim sane Gallus, quando ita tu uis, idque etiam C. Caesari & Cn. Straboni placuit, qui Galliam ulteriore Rheno & Pyrene, Alpibus & Oceano diffinierunt. Non mutet lingua coeli conditionem: non mutet ius dicentis imperium, soli naturam: non occuparint Germani quicquid inter Rhenum & Scalden terrarum iacet: unde tamen Sanatus planum facies, homines Gallos in ciuitatem recipi non posse? Non sane ex capitibus ad municipales & incolas: ubi cum omnia quidem omnium ciuitatum iura accuratissime describantur, tamen nullum inde Sanatus con. protuleris, nullum plebiscitum, nullum principis edictum, nullum Praetoris decretum, nullum iurisperiti responsum, quod Gallis hac ciuitate interdixerit. Ac quoniam te neque a iure ciuili, neque ab rerum Romanarum memoria, neque ab iudiciorum consuetudine ullo modo instructum esse aut paratum uideo: hic te monitum uelim, falsi poena eum teneri, qui in iudic



iudicio legem in caput alterius recitet, quæ neq; Institu-  
 tionibus civilibus neque quinquaginta illis Digestorum li-  
 bris, neque Iustiniani duodecim Codicis uoluminibus, a-  
 lijs uel principalibus edictis contineatur. Illud item te ne-  
 scire nolim: legum uestrarum decretis diligenter compara-  
 tum, & sanete cautum esse, ut qui alterum capitalis crimi-  
 nis postularet, ei legum ignorantia ne prodesset, quo mi-  
 nus talione in ipsam uindicaretur, si eum cuius nomen de-  
 tulisset, non condemnasset. Quod cum ita sit, inferasq; in-  
 nocenti periculum nõ modo nulla lege, sed nec ullo more  
 instituto uel maiorum, atq; etiam sine ullo exemplo (ec-  
 quis enim unquam ciuitate pulsus est, quòd Gallus esset?  
 quòd indoctus? quòd ignobilis?) quo nam confugies, si &  
 legis Corneliæ spiculum in te intorsero, quòd falsis in me  
 legibus, nullo autore inueharis: & ab amplissimo ordine  
 petam, ut pro Senatuscon. Turpilianii decreto accusatoris  
 temeritas lege Rhemia uindicetur? quod non ad te modo,  
 uerum ad istos etiam qui tecum in eadem sunt causa, om-  
 nneis pertinere uelim intelligas. Quò confugies inquam?  
 nimirum ad istos tuos subscriptores, ad magistròs, qui te  
 nouo aliquo commento, tot legum periculis irretitum, tot  
 iaculis confossam, incolumẽ uidelicet seruaturi sunt. Vix  
 mihi persuadere possum P. C. ingeniosos quidem atq; ue-  
 hementes hosce adolescentulos, sed ad forensẽ usum pa-  
 rum, ut uidetis, eruditos, ad hanc accusationem descensu-  
 ros fuisse, si hoc ipsum omnino sciuisent, quid sit aliquem  
 iudicio capitis arcessere: aut cum descendissent, in sen-  
 tentia iam tot dies permansuros fuisse: nisi de quo se etiam  
 iactant, magnis & occultis nonnullorum clam nos op-  
 pugnantium opibus niterentur. Quare per me quidem  
 habeant excusationem licet, aut pietatis, aut necessitatis,

e

aut



aut etatis. Si sponte sua me accusarunt, donetur in patriam pietati, cuius se iniurias hoc iudicio ulcisci arbitrantur. Si à parentibus suis iussi, necessitati: ijs enim pareant necesse est. Si quam eloquentiæ laudem temere sperarunt, adolescentiæ: quæ ut confidentiæ plena est, sic ob fori humanarumq; imperitiam rerum, uenia in primis digna. Subscriptoribus autem & astipulatoribus eorum, hoc est, huius tumultus & seditionis autoribus, quibuscum sub istorum nomine uehementius interdum litigo, non modo non ignoscetis, sed etiam temeritatis pœnas, easq; populo Romano dignas. Sed non faciam, ut cuiquam parum aut modestus uideri possim, si uobis pœnarum modum præscribam, qui hic non legitimo iudicio, sed libera disceptationi præsidetis: aut Christianus, si uos ad sumendum de istis supplicium acerbius cohorter. Itaque res tota arbitrato uestro dijudicetur. Verum quam ipsi uobis ex iure publico legem expromunt, quæ Gallos ciuitate Romana arceat? Nullam puto. Neque enim ulla, quod quidem memoriæ proditum sit, hac de re lata est. Quòd ut prius fuerit aliqua, quàm Galli in populi Romani potestatem peruenissent: audebunt ne isti propterea, legem tot exemplis antiquatam, tam nobili quàm mox dicetur Patrum decreto obrutam, post tot ætatum secula in iudicijs recitare: cum in Senatuscon. Liboniani pœnam non minus is incidat, qui lege uel tacito consensu uel aliter abrogata, quàm qui nunquam rogata scita'ue in alterius perniciem utitur? Haud equidem satis uideo patres Conscripti, istorum ne magis uobis coërcenda sit improbitas, an mihi capitalis eorum deploranda securitas. Sic enim mecum apud uos agunt, quasi uel Senatum ludibrio haberent, uel me animi causa friuolis & nugatorijs calumnijs



ORATIO

*Monachus la 67*

*mnijis infectarentur.* Quid dicitis homines à rerum Romanarum cognitione longe remotissimi? Gallos in ciuitatem recipi non posse? Quam id demum in urbe disputatis? Non ne in ea quae integras Gallorum legiones à C. Caesare Dictatore, etiam equestri & censu & ordine, non solum ciuium Romanorum iure donatas uidit? Sed quando id armis oppressa aut perturbata certe Republica factum uideri potest: heus tu, recita orationem, quam post constitutum Reipub. statum, & Galliam prope modum totam ciuitate donatam, de admittendis etiam in Senatum Gallis, Claudius Caesar habuit. ORATIO. Recita item Senatusconsultum mox in sententiam Principis factum. Au. Vitellio, Lu. Vissano COSS. SENATVS CONSULTVM. Intellexistis Patres conscripti quam grauius populi Romani princeps, hoc ipso loco iam tum Galliam tutatus sit aduersus istorum calumnias, quas in Gallos, quo me etiam in summum inde apud imperitum uulgus odium adducerent, nuper effuderunt. Mirum est enim quam intemperanter ubiq; Gallorum nomine ad causam nostram inuidiam abutantur, cum ego plane Gallus non sim, nihil certe de Gallorum laudibus unquam scripserim. Itaq; in eorum quibus ego sane inimicus non sum, defensionem nihil à me, praeter hoc unum audietis: habuisse urbem Romam, Gallos non solum ciueis ab urbe condita innumerabileis, sed etiam tum Imperatores, tum Pontifices complures, neq; imperio uestro parum utiles, neq; persuasione Christiana indignos. Quod uero ad causam nostram pertinet, id est: nulla post Senatusconsultum illud lege cautum esse, ne ue Gallos ne ue Fracos homines in ciuitatem uestram uobis asciscere liceret. Neq; uero me hic oblitum pu-

*Schuld*  
*also auch von*  
*vergeben laus*  
*ser schulden*





tetis eorū P. C. quæ accusatores mei ex illa M. T. Cicero-  
 nis oratione, quam is pro Lucio Cornelio Balbo habuit,  
 in me magno imperitæ multitudinis plausu atque clamo-  
 ribus attulerunt. Memini: uerum me pudet cum illorum,  
 qui illa nulla literarum uestrarum cognitione instructi  
 dixerunt: tum meimetipsius, qui in quæstione legitima &  
 in iudicio publico, ad puerilia studia reuocer, cogarq; in  
 Senatu populi Romani, non iam de iure legibusq; maio-  
 rum nostrorum, sed de controuersia, in ludo apud Rhetor-  
 es aut Grammaticos potius declamanda, uerba facere.  
 Verum quando se liti tam cupide offerunt, gestuq; ipso id  
 à me etiam improbe exigunt, nec uos quidem in eo repu-  
 gnatis, dicatur sane: sit eis per me impune, quòd legem  
 nusquam scriptam, tot exemplis, etiam si extaret, antiqua  
 tam, tam memorabili Senatusc. penitus sublatam, in caput  
 meum recitarint. At quid dicunt tandem? Extare uerba à  
 pud M. Tul. Ciceronem, quibus colligant, olim legem  
 fuisse, transalpinarum gentium odio latam, qua Galli ciui-  
 tate Romana prorsus arcerentur. Quid si ex eadem illa  
 oratione, atq; adeo ex iisdem illis uerbis doceo, neq; Gal-  
 los à uobis ciuitate prohiberi, neq; eorum odio quicquam  
 fuisse decretum? Recita M. T. Ciceronis uerba, quibus  
 isti Gallos homines ciuitate excludi contendunt. Sed nihil  
 est opus. uideor enim mihi illa memoriter esse complexus.  
 Quædam (inquit Cicero) fœdera extant, ut Germano-  
 rum, Insubrum, Heluetiorum, Iapidum, nonnullorum  
 item ex Gallia Barbarorum, quorum in fœderibus exce-  
 ptum est ne quis à nobis ciuis recipiatur. Hæc ille quidem  
 totidem uerbis scripta nobis reliquit. Verum hic mihi pri-  
 mum illud uelim accusatores mei respōdeant, quo nam uo-  
 bis pacto planum facturi sint M. T. Ciceronem, aut illius  
 potius



potius foederis autorem, id de illis nescio quibus barbaris, qui Maclinienses hodie uocentur, intellexisse? quos quidem esse populorum illorum omnium longe humanissimos, ac maiorum nostrorum moribus multo similes, ne caeteri quidem Belgae negant. Nullo id sane modo ostenderint quare nec me illa sua ~~futili coniectura~~ ciuitate pepulerint, cum non omnes omnino Gallos, sed eorum duntaxat nonnullos exceperit, quos in ciuitatem uestram recipere non possitis. Quod si me hic Germanum esse exclamabunt, cui ex foedere cisi Romano esse non liceat, haudquaquam tamen imitabor quasi desultoriam hanc istorum leuitatem, neque ad Gallos statim transfugiam, quod partim meo iure, ~~partim eorum improbitate compulsus~~ facere possum: sed illud eos interrogabo, ea exceptione, utris nam cautum putent, Germanis an Romanis? Romanis respondebunt uidelicet, quorum semper fuit conditiones ferre, non leges accipere. Quid, si uerba ipsa, & res, & in eadem oratione M. Tul. Cicero testimonio sunt, ea ~~pacione~~ transalpinis gentibus prospici, Romanis praescribi: num cui dubium poterit esse, quin isti ad nos oppugnandum impudentiam cum stultitia & imperitia coniunxerint? Quaeso animum hisce uerbis Patres conscripti aduertite. Germanorum (inquit) foederibus exceptum est, ne quis a nobis in ciuitatem recipiatur. Si ea foederis conditione superiores Romani fuissent, dixisset opinor, Romanorum foedere exceptum, ne Germani in ciuitatem reciperentur. quid ita? nempe quod Syllani & Carbonis lege, foederatis populis omnibus ciuitas dabatur. Quod cum dicat Germanorum foedere exceptum esse, ne quis a uobis ciuis recipiatur: an hoc dubitabit quisquam omnium, Germanos cum maioribus



uestris foedus ea praescriptione iniuisse, ut ne popularium  
 suorum quenquam in ciuitatem uestram aut priuilegio,  
 aut Syllani Carbonis ue lege reciperetis? cur id fecerint,  
 mox dicetur. nunc mihi demonstrasse satis est, uerba ipsa  
 cum Germanis facere: nec quicquam in eorum contume-  
 liam iisdem foederibus esse expressum. Iam uero cum statim  
 a condita urbe, ea semper fuerit Pop. Ro. nae omnibus se-  
 culis commemoranda celebrandaq; consiliorum ratio, ut  
 una tandem esset in toto orbe terrarum ciuitas, idem ius,  
 idem sermo, eoq; nomine cunctis mortalibus ciuitatem lar-  
 girentur, admitterentq; nullo discrimine stipendiarios, ho-  
 stes, seruos. nam stipendiarios ex Africa, Sicilia, Sardinia,  
 caeteris item prouincijs multos ciuitate donatos scitis, &  
 qui hostes ad uos perfugissent ciuium numero habitos:  
 seruos deniq;, quorum conditio etiam turpis esset, uindi-  
 cta manumissos, non solum libertatem, sed ciuitatem quoq;  
 Romanam adeptos fuisse satis constat. Si isthuc inquam  
 in maiorum uestrorum animis insederat, ut cunctos mor-  
 tales ad huius Reip. communionem conuocarent: quis eos  
 credat se tanto robore, tot fortissimis ciuibus, quot eis  
 Germania suppeditare potuisset, sua sponte priuare uo-  
 luisse? Lydos (opinor) Phrygas, Cilicas, Aegyptios,  
 Cappadocas, Syros, & firmissima illa reliqua Asiae au-  
 xilia, in ciuitatem asciscebant. Germanos uero, Gallos, In-  
 subres, Heluetios, tanquam leues atq; imbecilles gentes  
 aspernabantur. Ne mihi graue aliquod hic intendant o-  
 dium, quod in transalpinas gentes nullum quidem esse  
 tantum potuit, quanto in Poenorum perfidiam flagrant:  
 quos tamen nullo maiore negotio in ciuitatem admissos  
 esse, nemo qui paulum modo in annalium uestrorum le-  
 ctione uersatus sit, ignorat. Deinde quae est hodie Chri-  
 stianorum



stianorum hominum in persuadendis, & ad bene beateq;  
 ex Christi instituto uiuendum traducendis Barbaris om-  
 nibus ratio: ea scilicet maiorum nostrorum fuit in com-  
 municando cunctis gentibus ciuitatis iure sententia. Et  
 quoniam M. Tullius Cicero, aut istorum potius inscitia,  
 ex unius M. Tullij Ciceronis scriptis negotium mihi  
 exhibet: & memoria uobis referam Patres conscripti  
 quid ille idem M. Tullius Cicero in eadem pro L. Cor-  
 nelio Balbo oratione, tam aduersus istos aperte, quam  
 in sententiam meam diserte scripserit. Defendo (in-  
 quit) rem uniuersam, dico nullam esse gentem ex omni  
 regno terrarum, neque tam dissidentem à populo Roma-  
 no odio quodam atq; dissidio, neque tam fide beneuolen-  
 tiaq; coniunctam, ex qua nobis interdictum sit ciuem a-  
 sciscere. Verba igitur ipsa & res, & ille, cuius autorita-  
 te hic oppugnamur, M. T. Cicero, nobis patrocinantur,  
 ostenduntq; nisi transalpinarum gentium odio, eo fœde-  
 re sanctum atq; perscriptum quominus eorum aliquis in  
 hanc ciuitatem ueniret. Age porro, quandoquidem apud  
 iureconsultos inurbanum & iniquum haberi uideo, ni-  
 si tota lege perspecta iudicare uel respondere: quo ma-  
 gis eam conditionem à Germanis, non ab Romanis fœderi  
 adiectam fuisse cognoscatis, Heus tu, recita Ciceronis uer-  
 ba, paulo altius repetita, C I C E R O N I S V E R B A.  
 Animaduertistis Patres conscripti ut in percutiendo fœ-  
 dere moris fuerit eorum qui uobiscum paciscerentur, in-  
 terdum cauere, ne quem suorum ciuitate donaretis, idq;  
 Gallis autoribus ascriptum, ac de Germanorum senten-  
 tia tum adiunctum fuisse, non à populo Romano addi-  
 tum: qui Germanos in ciuium suorum numerum ni-  
 hil grauate admisissent, si per transalpinas gentes id eis  
 e 4 licitum



licitum fuisset. Afferant nunc isti nostri magistri causam (si possunt) imò hic discant, quando hoc primum discendi tempus sunt nacti, cur Germani studio quidem, sed nullo in uos odio, ciuitate uestra sibi interdixerint, quam reliqui pene mortales uoto petebant. Tuebatur libertatem suam Germania P. C. uel potius regno quisq; suo prospiciebat Germaniæ principum: ueriti ne si popularibus suis in ciuitatis uestræ iura transeundi potestas fieret, cunctis ad uos cupide migraturis, ipsi tandem regno caderent, nec ullos quibus dominarentur iam haberent. Nam in ciuem Romanum præterquam populo Romano nulli mortalium ius erat. Hæc illa est uera & germana prisca illius fœderis ratio, ne hac tempestate quidem Heluetijs, Insubribus, Allobrogibus, & superioribus Sequanis ignota. Verum cum Germani de iure suo iam olim decesserint, hodieq; soli propè mortalium pari uobiscum animo Romani imperij maiestatem tueantur, iisdem sacris, iisdem legibus utentes: an non isti populo Romano inscientiam suam omnibus modis declarant: dum obsoleta & cariiosa illa sua fœdera, in Germanorum inuidiam tam imperite celebrant: quos constat neque animis neque ditio-  
ne, quibus inter nos honeste nobis conuenit: sed solo terrarum spatio dissidere? O peracutos iuris interpretes. O egregios antiquitatis uindices. O seuerissimos ciuitatis Romanæ emendatores, qui hac sua censura maximum atque nobilissimum liberalitatis uestræ instrumentum uobis auferre conantur, atque populo Romano interdicerent, ne Gallis, ne Germanis, ne Heluetijs, ne Insubribus, ne Iapidibus ciuitatem communicet. Eòdem pertinet Patres conscripti, quod mihi de Germanæ patriæ eiuratione, credo, ut se non minus argutos dialecticos  
quàm



quàm prudentes iureconsultos ostenderent, scite admodum hisce uerbis obijciebant: Antè natali solo nuncium remittas oportet, quam urbem Romanam indipiscaris. illi nondum cessisti: hanc ergo nondum indeptus es. Obsecro uos uiri disertissimi per diuinã istam uestrã eloquentiam, per admirabile illud ingenij uestri acumen, quid hoc rudius? quasi obscurũ sit, nec ipsa res plane cogat, si alterutra carendum sit, huius assumptione illam deponi? Sed cuiusnam legis autoritate nitebantur homines loquacissimi, ut me ad reiiciendam naturæ patriam, si Quiritum ac ciuium Romanorum numero haberi uellem, compelleret? Nullius, quod equidem meminerim. Quid ais? laudasse te M. T. Cicronem eius quoque sententiæ autorem? Esto. Sed nec me Cicero autoritate sua, ut iuuare, sic etiam damnare potest: nec tu (si uelim) legis Corneliæ poenam uitare, qui contra principum Romanorum constitutiones, sola priuatorum hominum præiudicia in perniciem meã adduxisti. Hoc ipsum illud est P. C. de quo modo conque-  
rebar, magno mihi esse pudori accusatores meos aduocatosq; eorum ac meipsum quoque mihi, cui res sit cum eo hominum genere, quos non tam ætate forensiq; exercitatione tyrones, quàm literarum cognitione pueros & plane rusticos uideatis. Equidem cum hæc ab illis tanquam grauiã, & quæ refutari non possent, longa oratione, & maxima uoce disputarentur: partim ridebam eorum stultitiam, partim etiam uestram mirabar patientiam, quòd ineptas & ieiunas hasce eorum argumentationes tam diu perpeteremini. Sed quid denique aiebat? M. T. Cicronem ea esse in opinione, ut loci & originis patriam tenere possit nemo, qui se in hanc dicauisset. At certe nusquam id scriptum reliquit. Verum fac alicubi scri-

e s pisse



p̄fisse, quid tum, etiam ut ius & auctoritatem legis Cice-  
 ronis sententia habeat? Num me propterea non ciuem  
 Romanum esse, continuo uicistis, quod à communi pa-  
 tria exceptus, illam quæ me genuit amiserim? Hic mihi  
 uix impero P. C. quin istorum insecter flagris dignam,  
 urbeq; uestra multo indignissimam, ac plane capitalem  
 inscitiam, aut intolerabilem potius execrer perditissimo-  
 rum hominum calumniam, qui quæ in salutem alicuius  
 luculente descripta sunt, ea in exitium eius scelerate de-  
 torqueant. Discant igitur tandem quod profitentur: uel  
 quod fraudulenter inuerterunt, id sibi restitutum audi-  
 ant. Ciceronis uerba sunt hæc P. C. Ceteræ, inquit, ciui-  
 tates omnes non dubitarent nostros recipere in suas ciui-  
 tates, si idem nos iuris haberemus quod cæteri: sed nos nō  
 possumus & huius esse ciuitatis, & cuiusuis præterea: cæ-  
 teris concessum est. An non hisce uerbis aperte & plane  
 indicatur, Romanis iure Quiritum haudquaquam licuis-  
 se hanc ciuitatem retinere, qui se alij dicauissent: cæteris  
 mortalibus suam cum uestra patriam habere licitum fuis-  
 se? Huius autem rei causam quis aliam esse suspicetur, nisi  
 quod prouincialibus honorificum sit, conditionem suam  
 communis omnium patriæ accessione facere meliorem?  
 Cui Romano non turpe, huius solum humilioris ciuitatis  
 causa uertere? Nimirum ciuitate uestra indignus est, qui  
 Romanæ maiestatis, & illius urbis, in qua sit orbis terræ  
 imperij domiciliū, oblitus, in alterius iura quæstu aliquo  
 pellectus sese contulerit. Quod quidem accusatorum meo-  
 rum uni & alteri paucos ante annos usuuenisse omnes  
 cum sciant, ridiculam eorum uel imperitiam, uel impuden-  
 tiam satis demirari non possum, qui cum primum in a-  
 liam ciuitatem sunt ascripti, hanc se perdidisse nesciant,  
 aut si



aut si sciunt, quo mihi ore, peregrinitatem tam insolenter  
exprobrare audeant? præsertim cum ne in ciuitates qui-  
dem ipsi ullas, sed in ignobilia quædam oppida, imò ue-  
rò in agrestia nec deserta minus, quàm remota quædam  
& deuia atque uasta castella, sordidum scilicet nescio  
quod lucrum secuti, commigrarint. Verum quis hæc eius  
esse generis crimina non uidet, ut responsione indigna,  
& contemptu magis, quàm graui ulla oratione refellen-  
da sint? Itaque ad illam accusationis istorum partem ag-  
gredior, quam mihi ignobilitatem tam acerbe exprobra-  
runt, summa que uerborum ui ostendere conati sunt, so-  
lis quidem ad hanc ciuitatem nobilibus hominibus aditum  
patere. Possẽm hic ego P. C. perinde ac idoneum nactus  
locum, aut omnino quasi aduersariorum meorum proca-  
citate coactus, de Longoliorum nobilitate multis apud  
uos agere, commemorare familiæ uetustatem, nominis  
antiquitatem, gentis splendorem, maiorum nostrorum  
imagines, laudare eorum qui etiam nunc uiuunt fortunas,  
dignitatem, honores, magnam apud omnes ciuitatum sua-  
rum ordines gratiam: ad hæc etiam, si qua uulgus alia in  
eis fortunæ bona miratur, ea prædicare omnia. Verum  
cum non sine magna mea meorum que inuidia hæc à me  
celebrari, sed ne nudis omnino uerbis hic dici possint:  
illud à me unum audietis, atque id ipsum magis, ut uo-  
bis de istorum impudenti mendacio liqueat, quàm quòd  
magnopere causæ meæ conducere existimem, esse me  
non obscuro, quod isti mentiuntur, sed honesto loco &  
ea gente natum, ex qua Quintus Nicolaus Pontifex Ma-  
ximus, cum de supplendo collegio amplissimo agitaret,  
Richardum Longolium Constantiensem Antistitem de-  
legit



legit, quem in Romanorum sacerdotum numerum referret, relatum Petrinis sodalibus flaminem daret. Quod ab eo factum esse, ut publicis populi Romani monumentis consignatum est, sic etiam palam arguunt aedes illae, quas Richardus post suam in eum ordinem cooptationem, in Vaticana ad Petri magno sumptu marmoreas exaedificauit. Atqui ne non hic etiam aliquid liberalitati nostrae accusatores mei acceptum referant, dabo illis sordido me atque infimo genere natum, dabo terrae (si ita uolent) esse filium. At non propterea hanc mihi ciuitatem esse clausam docebunt, quae nullo personarum discrimine, non ciuitatem modo, sed summos quoque honores, uirtuti potius quam fumosis ullis imaginibus semper detulerit. Tullus Hostilius, quamuis agresti tugurio natus pascendo pecori adolescens occupatus, Romano tamen à uobis imperio donatus est. Tarquinius Priscus, quem negotiatio contemnendum, patria fastidiendum, fortuna miserum, pater erubescendum reddiderat, non ne hic iussu uestro regnauit? Quoniam Seruius Tullius, uerna huic urbi natus, uestro beneficio processerit, titulus ipse abunde testatur, seruili cognomine, & regia appellatione perplexus. Porcius Cato Tusculi obscurus, quid inter tot honorum insignia clarius quam se autorem habuit? Quam multos ab aratro ad consulatum: quam multos à stiuā ad dictaturā uocastis? Quis enim ignorat Attilios, Fabricios, Cincinnatos, Calatinos, Marios? quos nullo natalium splendore, nullo diuitiarum fulgore, contraque cum multa paupertate, tum uerò summa ignobilitate Rempubicam illustrasse pariter ac locupletasse conuenit. Quòd si cui haec duriora uideri possunt, quam  
ut flo



ut florentibus imperij rebus tolerari potuerint: Aeliū certe Pertinacem, Opilium Macrinum, Philippos, Aemilianum, Probum, Galerium, Constantinum denique ipsum cognomento Magnum, non ex obscuris modo, sed etiam sordidis incunabulis, imperij Romani fasces, nedum ciuitatis uestræ iura adeptos esse nemo nescit. Vt non possint quidem huiusce urbis plane hospites non haberi, atque hic tanquam in aliena ciuitate peregrinari uideri homines, qui disciplinæ consuetudinisque uestræ ignari, me ea demum de causa hac ciuitate indignum censeant, quòd necdum in dignationem amplissimorum uirorum uenerim, nec ullis maiorum meorum imaginibus uobis commender: cum Populus Romanus cunctis mortalibus dignitatis fores semper aperuerit, nobilissimos eos esse ratus, non quos generis atque familiæ gloria, sed sua uirtus commendaret. Nec id sane ab re. Decet enim in ea ciuitate, quæ ceteras uirtute superauit, atque uno hoc nomine orbis terræ imperio prius digna habita est, quàm tantæ potestatis compos facta, uirtutem, non generis claritatem plurimum posse. tametsi aduersariorum meorum unius tantum fumosas imagines, reliquorum nullas, aut certe subitas aspicio. Nam maiorum aut omnino minorum gentium patricium inter eos nullum facile reperio. Sed quid est tandem in hac recenti lege, eos demum in ciuitatem hodie excipi, quos spectata personæ dignitas illustret? Tu uerò quem esse me dicis? Ignobilem, opinor, quòd gentiliū meorum neminem hic nominare habeam. Atqui discite homines indoctissimi, primum ridiculum esse, gentiles hic à uobis requiri meos, cum trans Alpes sim natus. Deinde neminem (quod Lucilius autor  
grauis



grauiſſimus dicere ſolebat ) ex bulga matris illuſtrẽ pro=  
 diſſe : nec ſi illuſtrem cum eſſe oporteat, qui in ciuitatem  
 ueſtram ſuſcipi poſtulet, nobilem quoque cum eſſe oportere . Naſcimur nobiles parentum maiorum' que gloria:  
 eorum autem , quos uel noſtra uirtute, uel principum li=  
 beralitate adepti ſumus, honorum ſplendore illuſtramur .  
 At uidete Patres conſcripti , in quod me neceſſitatis fre=  
 tum aduerſariorum meorum æſtus agat, qui mihi humili=  
 tatem crimini, dignitatem inuidiæ, utramuis conditionem  
 calamitati fore ſperarunt . Enimuerò eſſe me uirum illu=  
 ſtrem atq; clariſſimum ſi dixero, non dcerunt qui me con=  
 tinuo ut arrogantem incuſent: Sin modetiæ cupidus, ob=  
 ſcurum fatebor, una me ciuitate ueſtra indignum profite=  
 bor , ad quam iſti plebeios aſpirare non poſſe , tantopere  
 contendunt. Itaque ne quod moderatio noſtra uulnus ac=  
 cipiat , ſi quod à patrono honeſte uereq; dici poterat, id  
 ipſe dixero: modice de me loquar, docebo' que paucis me  
 clariſſimam quidem ſuſtinere perſonam atque adeo quo=  
 uis iſtorum, qui me accuſant, honoris gradu eſſe ſuperio=  
 rem. uerum id nullo meo merito: neque enim id refert, uti  
 legi fiat ſatis : ſed eorum , qui plebeios ſuis natalibus re=  
 ſtituendi , & obſcuros illuſtrandi ius habent , beneficio.  
 Heus recita Ludouici, qui duodecimus dictus eſt, Franco=  
 rum regis decretum, quo meis non unius aut alterius ſuæ  
 ditionis urbium , ſed plane uniuerſi regni ſui iuribus uno  
 edicto donauit . DECRETVM . Iam cognoscite pu=  
 blicas Gaſparis Turnouij, urbis Valentia Antitiſtis, atq;  
 Cauarum principis literas , quibus ille mihi teſtimonio  
 eſt, ut ipſe me, cum producente & auſpice Philippo De=  
 cio, tum pro eorum, qui Valentia iuris numerarentur in=  
 terpretes



terpretes, omnium sententia, consultorum insignibus decorarit. LITERAE PUBLICAE. Sub hac audite centumviralis illius quod Lutetiae Parhisiarum cogitur, concilij decretum, quo me uiri illi sanctissimi atque sapientissimi etiam tum iurati summo consensu in collegium suum cooptarunt, habiturum in perpetuum ius uitae & necis, ac summam fortunarum omnium potestatem, non in plebem modo, sed in omnes etiam eius regni proceres. DECRETUM. Quod si hos mihi habitos honores isti pro nihilo putandos dixerint, ac tantorum taliumque Principum auctoritati sibi standum esse petulanter negarint, homines sua tantum admirati, aliena contumeliose aspernari soliti: Decimi certe Leonis Pontificis Maximi iudicium nequaquam aspernabuntur, in quo summam sapientiam cum summa potentia tandem coiuisse omnes fatentur. Proinde huius quoque nobis lege non codicillos quidem illos, quibus a se quina in annos singulos sestertiorum nummum millia, tuendis studijs nostris expensa ferri pronunciat: nec illud quidem diploma, quo me omnibus fere pontificijs legibus soluit: quamuis nos, uel hoc solo nomine, satis ornatos reddidit, quod multitudinis numero exemerit: uerum illud recita, quo me Praetoribus primum, deinde Proconsulibus dignitate aequauit, cum me in Palatinum, & sacrosanctae Lateranensis Aulae comitatum sponte sua cooptaret, ac Romani Pontificatus scribarum principatu cohonestaret: quo sane munere non clarissima nos modo persona ornauit, sed alios etiam quoscumque, quos uel singularis doctrina, uel excellens animi uirtus nobis commendaret, iustos liberos faciendi, natalibus suis restituendi, aureorum anulorum iure donandi, in sacram cohortem asciscendi potestatem nobis fecit



fecit. DIPLOMA. Si me Patres conscripti tot ac tantorum principum testimonia beneficiaque, quibus illi me, quanquam hominem alienum, tamen honestissimum apud se & ornatissimum esse uoluerunt: si tantorum honorum radij illustrare non possunt, non uideo plane quid iam possit: sin clarum satis atque illustrem reddiderunt, obtritam atque perditam obscuritatis calumniam putatote. Nam de mea disciplinarum omnium & dicendi in primis mendicitate (libet enim hoc praesertim loco praecleara istorum uerba usurpare, quo plenius intelligatis, hanc ipsam mihi tanta asseueratione, eo uultu, eo spiritu, eo strepitu, cum crebra illa barbariei exprobratione, non debuisse quasi capitale crimen ab eis apud uos obijci) de eo, inquam, nihil est, quod istis uestrum quisquam sibi credendum existimet, quos inimico & infesto in me ingredi animo uidetis: ut illud interim taceam, quam eos minime omnium in dicendo aut graues esse, aut ornatos, uel ipsorum accusatio declarauerit, in qua si quam uolubilis linguae celeritate, si quem oris pressum, & suauem quendam urbis huius sonum, si uenustum denique totius corporis motum estis admirati: laus ea profecto sit adolescentium ipsorum, qui tam lepide egerunt, tam splendide pronunciarunt. Quod autem in oratione eorum nullam dicendi uirtutem, nullum oratorium lumen, nullum denique Latinae linguae, non dico florem, sed omnino uestigium agnouistis: ea uero septuaginta istorum est culpa magistrorum, qui cum tam inquinata & abiecte loquantur, ut a tabula, & ab istorum, qui scriptum uulgò faciunt commentarijs, uerba magna ex parte ducta sumant, dicendi tamen artem hic profiteri audeant. Sed hoc fortasse in hoc hominum genere non sit nouum. Illud autem quo modo accipien-  
dum



dum sit, uos optime statuetis: quòd cum ipsi se tam incorrupta Latini sermonis integritate & bene loquendi laude religioni atque eloquentiæ uestræ seruiuisse & accommo-  
dasse scirent, tamen ab adolescentibus his tertio quoque uerbo barbarum me contumeliosissime apud uos & asse-  
uerantissime appellatum esse uoluerunt. Atqui, ut modo dicebam, ipsorum oratio satis ipsa per se ostendit mendicitatem dicendi ab istiusmodi hominum genere non fuisse mihi in crimine tam acerbe ponendam: præsertim cum nec de eo quisquam dubitaret, eos pari propè, quot quidem sunt magistri, dierum numero ad illam conscribendam mane atque uesperis studiose conuenisse, singulis quasi collecta quædam in cõmune conferentibus, adiecta etiam magna illius orationis parte, quam uirum quendam magnæ magis quàm bonæ famæ, iam decimum annum in Gallos commentari audio. In quo quidem nihilo prudentiæ minus quàm in istis desidero. Nec enim si laudes Francorum ornando, uestras ego uisus essem deprimere, in Gallos is inuchi propterea debuit, de quibus ne litera quidem à me scripta esset, sed Francos ipsos agitare, uel me potius unū eiusce rei autorem acriter insectari. Verum ipse consilij sui rationem uiderit. Nam quod ad hoc iudicium pertinet, scio equidem non modo à me nullam excellentem Latine dicendi scientiam magnopere teneri, sed nec in appellandis omnino exprimendis que literis uestris istorum me suauitati atque lenitati respondere: qui tamè utrunq; præstare ut possem, multum industriæ aliquando posuerim. In quo si non ita multum profeci, hoc quidem certe ut à uobis nunc intelligar nec fastidiose audiar, mihi uideor cõsecutus. Sed quātumcunque in discendis literis uestris ope-

f ræ



re nauarim, non tamen uereor ne me ciuium uestrorum nu-  
 mero idcirco indignum iudicetis, quòd ad summam erga  
 uos populumq; Romanum obseruantiam, non summam  
 quoque attulerim dicendi facultatem. Ne quid hic igitur  
 uel de eloquentia uel de infantia uestra à nobis differatur,  
 duo illa in accusatoribus meis satis mirari non possum. Pri-  
 mum, cur me tanquam omnis politioris humanitatis & La-  
 tinæ expertem elegantiae hac esse indignum ciuitate tan-  
 topere contendant, cum hanc in rationem lex nulla sit à  
 condita urbe neq; scita neque sanè rogata, ut ne ue parum  
 emēdate & pure, ne ue minus ornate & grauius loquen-  
 tes in ciuitatem admitterentur. Hac enim certe ratione  
 præter homines Latinos atque hos ipsos admodum lite-  
 ratos & doctos admitteretur nemo. Deinde, si me irri-  
 dendum statuunt ob prouerbialem nescio quam dicendi  
 farraginem, contemnendum ut barbarum, tollendum de ci-  
 uitate tanquam infantem leguleium: cur aut puerilis illius  
 orationis, de qua me nunc in capitis iudicium uocant, ge-  
 nus tantopere probent, aut me eloquentissimi homines o-  
 ratione tanto studio elaborata, tandiu multumque à tot  
 artis Rhetoricæ doctoribus elucubrata accusandum puta-  
 rint. At si mihi ingenuarum artium cognitionem non o-  
 mnino adimunt, cur mihi uel communium literarum im-  
 peritiam tam arroganter hic obijciant. Itaque quantum  
 liberalis doctrinæ studio ipse profecerim, à me quidem nō  
 audietis. est enim cum omnis sui laudatio grauis, tum ue-  
 ro ingenij & doctrinæ prædicatio intolerabilis. Sed nec  
 istis etiam credetis Patres conscripti, uerum si placet, co-  
 rum stabitis omnium qui hac in urbe sunt eruditorum ho-  
 minum testimonio atque iudicio, quod mihi tum absenti  
 ac inui



ac inuidiæ flamma ardenti, quàm plenum quàm ingenuū,  
 quàm præclarū eo die daretur, cum uno omnes ore studia  
 nostra ciuitate uestra esse dignissima hoc ipso loco affir-  
 marent, meminisse uos arbitror: frequentes enim huc con-  
 ueneratis cognituri, studiosorum natio à nobis an aduer-  
 sarijs staret meis. Quos tum denique patuit e mentito eius  
 quod hic literis censeatur collegij nomine (Academiã Ro-  
 manam isti appellant) Senatusconsulto quo me ciuitate  
 ornaueratis, temere intercessisse. Nisi uero, qua sunt uel  
 impudentia uel stultitia, illud se uobis probaturos facillime  
 sperabāt, quod sibi antea scilicet persuasissent, penes egre-  
 gios illos suos magistros eruditi hominis consensum exi-  
 stere: ciueis autem illos uestros cum omni aliarum laudum  
 genere florentissimos, tum uero doctrina atque optimarū  
 artium studijs eruditissimos, Camillum Portium, Baptistā  
 Caselium, Euangelistam Magdalenum, huius gentilem Iu-  
 lianum, Marcum Torquatum, Baptistam Palinum, Hiero-  
 nimum Gotofredum, M. Antonium Alterium, & tanto  
 patre dignum Iulium Alterium, Marium Salomonium,  
 Vincentium Rusticum, Stephanum Thebolum, Vincen-  
 tium Pimpinellam, Ioannem Goritium, ortu quidem Ger-  
 manum illum, sed iure ac uirtute Romanum, Lælium ad  
 hæc Maximum, Hieronymum Alexandrinum, alios que  
 non paucos, nullo esse neq; in precio neque in numero pu-  
 tãdos, haud sanè magis quàm summa illa duo reliquæ Ita-  
 liæ lumina atq; ornamenta Petrum Bembum, et Iacobum  
 Sadoletum. Nam quando tantam hoc in loco frequētiam,  
 tantum doctorum hominum splendorem: quando tot cla-  
 ros poëtas, tot graueis oratores, tot prudentes iuris peri-  
 tos, tot egregios ceterarū artium interpretes uidistis: ut ue-



stri ordinis quidam non sine causa sit uisus disputasse, cum diceret, eo huc die Palladem, cum sacro illo musarum choro accessisse, urbe pueris, mulieribus, & imperitæ multitudi tradita, ut hac in arce capitolina dignitatem nostram tueretur atque defenderet. Ac profecto si quis illius conuētus celebritatem atque elegantiam, pro rei dignitate æstimarit: ijs hominum memoria alium neque frequentiorem omni literarum genere, neque illustriorem omni ingeniorum lumine usquam consedissee fatebitur. Nam præter eos quos proposui, adfuerunt etiam, si bene meministis, Petrus Paccius, Hieronymus Adornius, Dominicus Saulus: uiri nõ solum rectis studijs & amplissimis fortunis honestissimi, sed tum suis, tum maiorum suorum uirtutibus longe ornatisissimi. Adfuerunt Antonius Tibaldæus, Augustinus Beatiæ, M. Caballus, Marius Cataneus, Fabius Vigil: homines quorum quidem singuli, non suas modo ciuitates nobilitate, uerum hanc etiam nostram ætatem suis ingenijs illustrare possint. Quid hic Paulum Iouium commemorem? Angelum Golotium, Antonium Marosticum? Quid Marium Molsam, Hieronymum Nigrum, M. Antonium Flaminium, Georgium Sauronianum: uiros tum ab omni elegantiore doctrina instructissimos, tum ingenua animorum probitate optimos, atque totius uitæ innocentia integerrimos? At qui longum fuerit Patres conscripti nec medijsfidijs necessarium, hic eos omnes non dico complecti orando, sed ut institueram, commemorare enumerando, qui me cum testimonio suo non uulgari, tum uero laudatione sua singulari iudicijs uestris honorificentissime commendarunt. cum isti me interea nebulonem indotissimum, Italiæ inimicum, huius reipublicæ hostem magno clamore



clamore appellarēt. O' egregiam sapientiam præ qua tot ac tanti uiri desipiunt. O' mirificam doctrinam, præ qua ipsi literarum principes literas nesciunt. O' intolerabilem superbiam, qua isti uoce sua uobis præcūt, qua iudicij exitum ad arbitrium suum arrogantissime reuocant, & me iam tot dies hostem appellant, cum id dum neque Senatus censuerit, neq; populus Romanus iusserit. Quod si tot ac tantorum uirorum testimonia, literarum mearum auctoritatem fidemq; apud uos nondum constituerunt: non recuso quin quo me isti quasi ex iure manu confertum insolentissime uocarunt, continuo descendam, sponcione et iusto apud uos sacramento cum eis cõtendere paratus, ni uobis planum facio, esse me multo labore & industria tandē consecutum, ut in earum omnium quæ quidem libero homine dignæ iudicentur artium intelligentia, non sim tam rudis & indoctus, ut è ciuitate uestra istis quidem accusantibus eiici debeam atque expelli. Sed facite ut hic recordernini Patres conscripti, quonam eos uel inconstantia uel amentia cæcus inuidia impetus rapuerit, dum me non magnis quidem illis & grauibus, sed multis & uulgi iudicio atrocissimis criminibus in inuidiam uocare conarentur. Facite inquam in memoriam uobis illud redeat, ut post mihi exprobratam illam rerum omnium inscitiam, sollicita uehementiq; oratione homines prudētissimi uos admonuerint, uideretis etiam atque etiam ne quid resp. detrimenti acciperet. Conspirasse enim transalpinas gentes, ut non Romanos modo, sed cæteros etiam Italos de literarum principatu deturbarent. quo me quoque nomine, huc esse missum ab Erasmo Roterodamo & Gulielmo Budeo assere-

f 3 uellent:



uellent : nimirum ut excussis bibliothecis uestris omnibus  
 quicquid hic literarum esset reliquum , id ego omne me-  
 cum trans Alpcis auferre. Esse prorsus & de nominis Ro-  
 mani dignitate , & de Latinis literis actum , si uobis con-  
 niuentibus in earum possessionem barbari semel uenissent.  
 Nulla enim sane alia iam re uos cæteris mortalibus præ-  
 stituros , si quæ uobis mancipio & nexu propriæ essent ar-  
 tes , hæc etiam usu & fructu barbaris communicarentur.  
 Multo isthuc manus uobis esse tolerandum , quàm si de oc-  
 cupanda urbis tyrannide cogitassent. At quibus argumen-  
 tis huiusce conspirationis fidem uobis faciebant ? quibus ?  
 cum quòd ipse hoc triennio describenda optimorum au-  
 torum monimenta diligentissime & perpetuo curauissem :  
 tum quòd Gulielmum Budæum , & Erasmmum Roteroda-  
 mum affirmarent , quibusdam epistolis tanquam iam pla-  
 ne à se superatis Itatorum omnium ingenijs , de literarum  
 principatu mutuo sibi gratulari . Scio equidem Patres  
 conscripti , hæc quibusdam risum mouisse , nonnullis etiam  
 stomachum ita fecisse , ut ad istorum stoliditatem ingemi-  
 scentes frontem penè ferirent . Verum quid refert , si ma-  
 gis istiusmodi , magis quàm certis ullis alijs criminibus , a-  
 pud quosdam tamen homines minime malos quidem illos ,  
 sed scelestes suspiciosos & uehementer iracundos oneror ,  
 qui literas nihil omnino à libris differre putent suis ? quo  
 plane recepto , non iniuria metuunt , ut ne cum libris lite-  
 re quoque suæ trans Alpes commigrent : aut certe si uos  
 librorum copia socij aliquando æquarint , ut ne uobis  
 etiam doctrina pares ad extremum euadant . Verum de  
 hoc diu laborem , in quo istos multa potius misericordia ,  
 quàm acri ulla refutatione dignos censeo , quòd se non ui-  
 deant



deant huiusmodi oratione, de inuidia in nos sua: imò uero de angusto, & ipsa maleuolentia ieiuno animo suo turpiter & aperte fateri. Conspirarunt quidem transalpinæ gentes Patres conscripti, ut de optimis artibus & Romanis in primis literis quàm optime mereantur, atque etiam (quãdo id isti sibi dari postulant) ut uos Italosq; omneis in hac certaminis ratione superent: sed ita profecto conspirarunt, ut quanquam artibus et armis uestris, à uobis ipsis instructi in aciem descendant, uictoriam tamen adhuc cupiant magis quàm sperent. Sed facite aliquem hanc spem laudis præcipere, etiam uoti compotem aliquando fieri posse: an non hic tamè sua uictoria uobis uicerit, suo triumpho Capitolium exornarit, sua gloria urbis pomærium ampliarit? Ampliarit certe, simulime atque si suo quidem labore, sed uestris tum opibus, tum auspicijs imperium populi Romani longe late que protulisset. Quòd si haud paulo plus est, ingenij Rom. terminos quàm imperij fineis promouisse: uestra sanè uobis felicitas, sui miraculum potius excitare debet, quàm odiosa uideri Gallorum & Germanorum industria, quos nomen literis uestris certatim dantes conspicitis, nec sanè minus ac uos ipsos conniti, ut ingenium atq; lingua Romana latioribus etiam quàm imperiũ ipsum limitibus pateat. Profecto si aut alia quàm uestra in optimas artes lingua tam acriter incumberent, esset tum fortasse, cur incredibile illud ipsorum in bonis capeffendis literis studium animos uestros leuiter perstringeret, & scrupulum aliquem uobis non sine causa iniiceret. Nunc uero cum patrio spreto sermone, Græcas etiam literas, sine quibus Romanas perdisci non posse illis persuasum est, ad hoc amplexentur unum,



ut dicendi stipendia sub uobis & in foro uestro commo-  
 dius faciant: tantum mea quidem sententia abest, ut eò uo-  
 bis nomine inuisi suspecti ue esse debeant, ut haud sciam  
 an par sit eos a uobis tanquam ingenij uestri alumnos pie  
 subleuari, collaudari, atque adeo, quod olim militibus si-  
 mul ac sacramento adacti essent dabatur, in ciuitatem asci-  
 sci, quòd positis odijs, posita ferocia, obliti sermonis pa-  
 trij, ne uobis quidem in nomen Romanum amore atq; be-  
 neuolentia concedant. Neq; uero hæc à me eò proferuntur  
 Patres conscripti, quasi operam & industriã in literis ue-  
 stris optime posuerim, qui, quemadmodũ antè dixi, minus  
 sane & quàm uellem & quàm tot lucubrationes nostras  
 deceret, in his adhuc profeci: nec quòd me Gulielmus Bu-  
 dæus & Erasmus Roterodamus huc legarint, quorum mi-  
 hi alter præterquàm tot præclaris illis suis monumentis  
 prorsus est ignotus, alter amicus magis quàm familiaris:  
 sed idcirco à nobis hæc dicuntur, ne isti me perinde atque  
 affectati regni reum à se peractum glorientur, qui uobis  
 bene multos, meo undique studio collectos, & in Galliam  
 missos à me libros ostenderunt. Nec enim id tam occulte  
 habui, quin & palàm describerentur, & eo à me uulgo  
 transmitterentur. Qua profecto etiam in re, non modo mi-  
 hi (quod isti sanè quàm illiberaliter faciunt) P. Bëbus uir  
 clarissimus non inuidit, ad quem tamen ea iniuria, si quem  
 alium, maxime pertinuisset: sed suo etiam ære, aliquot pre-  
 ciosa eademq; istorum maleuolentia in tenebris abdita at-  
 que compressa utriusq; linguæ scriptorum uolumina, mihi  
 perbenigne curauit, hortatus me, ut neque in tam honesto  
 negotio cessarem, neq; si quid eo in genere commodare mi-  
 hi possit, consilio, opera, facultatibus suis parcerè: uir ipse  
 cum



cum Italicae dignitatis, tū uero Romanae maiestatis in primis studiosus, ut quo nostra patrumq; memoria nemo literas uestras neq; accuratius, neq; sanè felicius excoluerit. Epistola porro illæ (cum in ijs nec à me nec de me quicquam) cur in inuidiam recitari debuerint meam, plane nō uideo: non equidem magis, quàm quid istos in eis tantopere offenderit. nā hoc doctis inter se hominibus, tacito quodam eruditorum concessu, semper quidem licuit, ut modo seuerius, modo blandius etiam quàm res ipsa ferret, per literas colloquerentur. Sed nec magnopere ullam in eo illi, ut ego quidem sentio, reprehensionem mereantur, si aliquot non obscuri nominis Italos homines diligentia sua superatos uterq; ad alterum scripsere. Tam enim fieri posse existimo, ut ex transalpinis populis, duos aliquos singulari uel ingenuarum artium cognitione, uel ingenij acumine, uel dicendi copia, admirabileis uiros natura nonnunquam proferat, atque hos ipsos etiam nō paucis eorum qui solo hic literarum nomine censeantur, suo etiam iure præferat: quàm multis non Græcis hominibus Græciam ipsam doctrinae suæ fascis summississe non ignoramus? Quòd si ab Romanarum literarū adytis Gallos atq; Germanos, quasi alienos & prophanos excluditis: arcete etiam ceteros ab eis socios & Italos, quos olim non minus quàm trāsalpinas gentes, huic urbi aduersatos esse nemo nescit. Aboleatur præclara illa P. Vergilij Maronis Aeneis: est enim ab homine quem citerior Gallia produxerit, condita. Deleantur diuina M. T. Ciceronis monumenta. Arpinas ille fuit, è populo uobis quondam infestissimo. Quàm multos hic commemorare possum poëtas extra hanc urbem procreatos? quot eloquentes? quot consultos? quot medicos?

f s            quot



quot reliquarum item artium laudibus habitos ornatissimos homines? quos tametsi neque Romæ neque in Latio natos, in precio tamen habuistis, ipsorum semper admirati aut doctrinam, aut ingenium, aut dicendi facultatem, nunquam facile perosi prouincialem originem, et externum sociorum nomen. At enim nos natura Alpium uallo disternauit. perinde quasi eadem natura non etiam & Apennini iugis Galliam togatam ab reliqua Italia distinxerit: aut plus ualere possit apud uos ad excitandos immortales inter mortales discordias, interiectum alicuius montanæ regionis spatium, quam ad conciliandos homines arctissima illa summa coniunctionis uincula, idem sensus, idem ius, idem sermo. Enimvero de deo & rerum natura idem sentimus, administrandæ reipublicæ formam eandem probamus, matrimonia Romano ritu celebramus, Romano sacrificamus, Romano iudicia exercemus, Romano priuatim publiceque institui mur. Omnino Romana etiam lingua utimur, quotiescumque animi nostri cogitata scripture lectione que non indigna ducimus, non modo cum res ad Christianam rempublicam pertinentes religiosius tractamus. Sufficitis quidem ipsi uos lingue uestre, atque orbi terrarum suppeditatis ingenia, in quibus & indolis & eloquentiæ plane Romanæ uirtutes suspiciamus. At non propterea transalpinis populis literarum uestrarum usum inuidebitis, quos quasi uolones quosdam & uoluntarios milites, nulla ne prædæ quidem aut libertatis spe, sed tantummodo uel conseruandi, uel etiam propagandi Romani sermonis gratia, aduersus inscitiam & barbariem, tanta fide, tanta uirtute, tanto processu dimicantes uidetis. Sed quid hæc ego apud uos tam scrupulose: qui quidem defensionis



fioni nostræ locum iam tum reliquistis nullum? Nam cum  
 istorum hac in parte accusationem auersati, nutu gestuq;  
 ipso eos statim damnastis: tum Latine quæcunque cui=  
 us collibuisse ut legendi & interpretandi, sic etiam com=  
 mentandi scribendiq; ius, non Romanum magis aut Ita=  
 licum quàm sociale uel potius gentium, & omnibus æque  
 mortalibus propositum esse uoluistis: nedum uobis nihil  
 unquam timidum duxistis, nequando externorum scri=  
 ptorum nimia multitudo, aut orationis eorum altitudo  
 Romanæ facundiæ luminibus obstrueret, atque uos de li=  
 terarum uestrarum possessione deiceret. E quidem de eo  
 potius queri indignari que debueram, quòd me frugi &  
 religiosissimi uiri, tanquam barbarum & seditiosum, &  
 turbulentum hominem execrarentur, quasi mea unius cau=  
 sa, tanta inter ciueis Romanos dissensio, ac potius ciui=  
 le bellum exarsisset, ut alij se iam Longolianos dici uel=  
 lent, alij causæ nomen sequerentur suæ. O tempora, o  
 mores. Ego seditiosus, qui tam atroci contumelia inno=  
 cens afficiar? Isti quietis & ocij autores, qui mihi tam  
 acerbe insultent? Ego seditiosus, qui & publico tam  
 diu abstinuerim, & uix in iudicio uerbum facere nunc  
 audeam? Isti seditionis uindices, qui tota urbe con=  
 cionabundi, multitudinem in me fictis criminibus con=  
 citarint? Ego seditiosus, quem uel domestici parietes ab  
 istorum furore egre texerint? Isti ciuili moderatiõnis  
 studiosi, qui decuriatis descriptisq; aliquot sicariorum co=  
 hortibus, nec mihi nec amicorum meorum multis tutum  
 quicquam reliquerint? Denique seditiosus ego, quem  
 uix huius uel loci maiestas, uel confessus amplitudo  
 tueatur, quominus hic ibidem in conspectu uestro indi=  
 gue



gne trucidet? Isti publicæ tranquillitatis duces, quorum concionibus & armis, iam tot dies Roma tumultuetur, fora turbentur, sileant leges, idq; propter hoc unum, uti homo quem ipsi alienum, indoctum, obscurum, exulem, egen- tem, abiectum, inertem, timidum uideri uolunt, ad causam dicendam ne admittatur. E quidem si seditiosum leges Ro- manæ eum appellant, cuius caput in mediam cōtentionem ciuilem inimicorum scelere proiectū sit, cuius salutem opti- mus quisque sibi tuendam existimarit, qui legibus pareat, qui magistratum dicto audiens sit, qui in ius uocatus se- quatur, qui se in Senatus potestate & esse & fore prædi- cet, cui nihil præterquam in legum iure, neq; auxilij neq; spei sit: seditiosus sum Patres conscripti, nec quominus in me tãquam seditiosum statim animaduertatis, hic iam de- precor. Sin autem eum leges uestre seditiosum ciuem desi- niunt, & ea quæ est de maiestate pœna teneri uolunt, qui plebem in aliquem concitarit, qui falsos in alterius inui- diam rumores dissiparit, qui facta coitione ius ipse sibi di- cere conatus sit, qui priuato cōsilio manum coegerit, qui conductas operas armarit, qui uim cuiquam aperte attule- rit, qui tumultuosis concionibus quasi quibusdam ciuilibus belli tubis multitudinem inflammauerit: non quidem à me audietis, istos tum quos uocari conueniat, tum etiam quid pati sit æquum. illud potius à uobis etiam atq; etiam pe- tam, ut si nec crimine leuiore, nec periculo maiore, nec o- mnino indignius quenquã petulãtiusq; ac crudelius in ca- pitis iudicium ab inimicis unquam raptum fuisse scitis, iu- sto meo interdum dolori, iustæ, siquid stomacho & iracun- dia efferuescens ardentius asperius ue dicere uidear, indi- gnationi ignoscatis. Scio equidẽ mea quid ratio postulet,  
quorum



quorum accusationi respondeam, & apud quos dicam ui  
deo. sed contra, cum me uel ciuem esse Romanum, uel in cō  
muni gentium omnium patria, & apud homines Christia  
nos causam meam agere memini: tum uero tanta est Patres  
conscripti, istorum nō dico insolentia, hanc enim ferre pos  
sem, sed plane immanitas, ut mihi iam cum hominibus ne  
gocium esse uix putem. Nam ut omittam toties eorum in si  
dijs uitam petitam meam, ut male multatos amicos, ut fer  
ro uiolatos familiares, ut obsessam domū, ut nomen deniq;  
meum, quando in me seuire nō possent, non dico omni ge  
nere obscœnitatis aspersum, sed ita palam passimq; descri  
ptum, ut tum pugionibus confossum, tum facibus succen  
sum, tum nescio quibus pixidulis circumfusum spectaretur:  
Illud cuiusmodi tandem esse iudicandum est, quod mihi per  
eos neminem de ijs qui contra me stant, hic appellare li  
ceat? non mihi quidem ut eorum minis, ad quas sanè iam  
obdurui, sim fractus atque debilitatus, sed certe ut quorun  
dam necessariorum meorum uoluntati, uel timori potius  
obtemperem: quibus etiam isti, qua sunt impotentia, mor  
tem persæpe minati sunt, si aut se, aut gregalium suorum  
quempiam hic à me nominatim cōpellatum audissent, me  
tuentes, opinor, ut quod in actione sua nudiustertius fa  
ctum animaduertissent, in defensione item mea ne fieret:  
hoc est, ne quis orationem meam notis exciperet, quæ ma  
gna ipsorū infamia per uniuersam Italiam, atq; adeo Eu  
ropam totam aliquando circumferretur. Quanquàm aliud  
est omnino quod eos audaci isti suæ formidini prætere  
audio: ferendum sibi uidelicet negāt, ut ipsi qui se Roma  
næ dignitatis conseruatores dici & haberi uolunt, à me,  
quem quasi hominem barbarum & huius ciuitatis hostem  
acer



acerrimum insectentur, in celeberrimo amplissimi ordinis confessu, in hac ipsa arce capitolina, inuidiose ac cōtumaciter appellentur. Iam uero me, non tam à se quàm ab ipso populo Romano reum esse factum. Præclare mecum agi, quòd diluendorum mihi criminum potestas quoquomodo fieret, & lucem in ea urbe adhuc aspicerem, in qua me, si quid populo Romano priscae uirtutis reliquũ esset, prius omnium manibus discerpi, quàm iudicum sententijs iugulari cōueniebat. Deniq; nisi legibus et iudicio uestro præceps ex ipsa ciuitate perturbarer, nõ defuturos Romæ homines qui poenas à me ui repeterent, & oppressione me, quando disceptatione non possent, funditus euerterent. Quid hac (malum) præscriptione arrogantius? quid his minis crudelius? quid hac denunciatione immanius? Deus immortalis, ubinam gentium sumus? O prisca libertas. O turpem & miseram iudicij fortunã. Sed quos hic istos appellem? audacissimos? ne? quales se maxime dici cupiunt, an stultissimos? quod minime omnium uolunt. Atqui hoc meũ de uobis silentium, hoc uehementius hominum cupiditates iritarit, quòd uos à me tutò nominari non potuisse mirabuntur. Quis enim Chrysogonus? quis Fimbria? quis denique eorum, quorum impotentiam atque furorem omnium scriptorum uestrorum monumentis toto orbe notam atque in perpetuum detestabilem esse uolulistis? imò uero quis unquam usquam tyrannus se ab ijs in iudicio appellari uetuit, quos uel crudelitatis suæ ministris damnandos obicisset? Ecquando Patres cōscripti auditum? eccubi lectum? eccui tandem reo fraudi fuisse accepistis, quòd accusatores suos protulisset? quòd testes palàm refutasset? quòd aduersariorum genus, etatem, educationem, habitũ, fortunam, uictum,



niētum, studia, mores, nomen etiam ipsum excussisset, quo commodius & accusationem illorum debilitaret, & causa suae aequitatem iudicibus approbaret? Quod si nulli unquam licitum fuisset, mihi in istos certe permittendum fuerat, qui non me innocentem modo in capitis periculum tam turpiter, tam crudeliter trahunt: uerum etiam necessarios, municipes, familiares que meos, ac Gallos insuper omnes, nullis non conuiuijs petulantissime diuexarunt. Et audent, si deo placet, barbariem mihi etiam nunc exprobrare: ipsi tanto Scythis omnibus immaniores, quanto mirabilius est, hanc eorum animi feritatem, in eos homines, apud quos non modo ipsa confirmata sit & perfecta, sed etiam à quibus profecta trans Alpes, & ad nos peruenisse putetur humanitas, mansuescieri non potuisse. At cur mihi Senatus tam frequens datus est? cur in iudicium uestro praesidio sum deductus? An ut si istorum minis territus taceam, hic à uobis statim damner: sin auctoritatem & iustitiam uestram secutus, pro me uerba libere faciam, ab istis paulò post iuguler? Ergo nec liber dolor, nec liber questus ne in curia quidem, & in hac communi omnium gentium libertatis arce nobis non erit? Inuitus dico Patres conscripti, sed importuna istorum audacia atque iniuria expugnatus, facere non possum quin dicam, quam uereor ut quo animo dicitur, à multis accipiatur. Quae res ea est? Nisi nomen Romanum proxime atque uos, aut etiam aequè amarem, eamque beneficij erga me uestri magnitudinem esse sentirem, quae nulla cuiusquam iniuria exhauriri possit: mallet profecto in desertam aliquam insulam relegari, atque adeo nullies perire, quam hic inter istos uiuere, ubi tanta sit gladiatorum licentia, tam nulla legum reuerentia, tantus furor, tam nullus pudor.

pudor.



pudor. Accusatores meos in iudicia non appellem? Absolutus per eosdem Romæ tutus non sim? Verum hæc tibi quoque indignitas Christophore Longoli deuoranda est, ac alia item multa dissimulanda: quando iam inde a primo, tui in eo habitata ratio non est, ut alterius patrocinium causæ tuæ tam inuidiosæ adhiberes. Pareatur igitur istorum impotentia: dicatur ad inimicorum arbitrium: nuttatur inuidiæ sanguis: detur hoc quorundam necessariorum meorum uel precibus, quas aspernari non debeo: uel timori, quem abstergere non queo: geratur etiam hac in parte uoluntati meæ mos. Nec enim eos uoce persequi uelim, quos neque aliter ac nutu atque significatione appellare necesse habeo, quòd uobis sint istis suis moribus satis descripti atque noti, neque nomine dignos unquam putauit. uicerint in hoc sanè, uti ne à me nominentur. Capiant hunc ex perdita sua audacia fructum, ut per me quidè sempiterno damnati silentio, perinde sint atque si nunquam extitissent. Quod me non in hac solum causa, sed usque dum uiuero semper curaturum, eis bona & Romana fide apud uos polliceor. Liceat enim mihi magnifice hic saltem dum licet, loqui aduersus istos, qui se nescio qua iam de causa, Brutos, Cassios, Halas inter se consalutant: qui se Martium quiddam spirare gloriuntur, quòd præter gladios & sanguinem, præter cædes & strages nihil fere loquantur: qui cum nihil neque pudori neque probitati, neque omnino salutis nostræ loci reliquerint, ita se etiam hic gerunt, ut si nullam esse Rempublicam, nullum Senatū, nulla iudicia, nullam in quouis uestrum dignitatē arbitrarentur. Sentiant aliquando fractam uim suam: sentiant contemptum furorem, compressam audaciam atque immanitatem. Equidem satis mirari non possum, quòd cum isti multa à

me



me de turbulento urbanæ multitudinis ingenio ficta esse impudentissime mentiantur, tamen ea importunitate atq; audacia in me grassentur ipsi, qui se multitudinis duces haberi uolunt: ut id non modo comprobare, de quo me nunc acerbissime accusent, sed furiosissimis etiam suis actionibus longe superare uelle uideantur. Profecto enim si quid huiusmodi scripsissem aliquando dixissem ue, non armis & gladijs, nec seditiosissimis concionibus plebem concitando, sed iure & legibus & constanti illa & Romani animi grauitate atq; moderatione mecum disceptando falsum id & inane ostensum esse oportuit. Et quando sunt etiam ausi, turpi mendacio exilium mihi obijcere, cū me paulò antè ab Erasmo Roterodamo, & Gulielmo Budeo Romam esse missum, ad expilandas bibliothecas uestras calumniati essent: fateor Patres conscripti me solum huc uertisse, sed non exilij causa, neque æris alieni, neq; sceleris ullius conscientia, nec omnino grauioris alicuius pœnæ metu id feci, sed rerū literarumq; uestrarum plenius cognoscendarum gratia. Volui nimirum in rem præsentem uenire, oculisq; ea subijcere, quæ partim fama & auditione acceperam, partim utriusq; linguæ autorū lectione cognoueram atq; didiceram. Quòd si me propter aliquod meum delictum patria pulsum uobis ostenderint, causam dicturus non sum, quin mihi aqua & igni interdicitis, non solum ut donationem uestram qua nuper in ciuitatem ueni, hodie reuocetis. Sed cur non criminis scelus aliquod proferunt? cur non testes producant? imò unde istud suspicari illis in mentem uenit? Nullis enim idem obijci non potest, quicumque negotij, officij, studiorum ue causa domo absunt, Romæ degunt. Sed in qua me per deum immortalem, urbe exulem uideri uolunt?



An non in ea, in qua nemo exulare potest? quòd Roma communis omnium gentium sit patria. Si exul essem, profecto nec Romæ essem, nec isti capitale crimen tam leuiter attigissent. Recita legem, qua qui patria sua pelluntur, urbe quoque Roma expelluntur. LEX. Sed quid ego hæc studiosius refello? quasi nesciatis Patres conscripti ex legem leguleium, oratorem barbarum, exulem seditiosum, Gallum libidinosum, ebriosum Germanum, hybridam transalpinum, longum & infelix lolium, atq; alia huiuscemodi sexcenta, quibus me grauissime uulneratum iri arbitrabantur, esse morosam & frigidam & illiberalem sane petulantissimorum hominum dicacitatem, qui nullum aliud præposteri sui ingenij præmiũ nouere, quàm odisse & insectari optimum quenq; , ac tanquam tetrus quibusdam inuidiæ dentibus, ipsos dignitatis uirtutisq; flores discerpere. Aliud est graui honestaq; oratione, publicam in Senatu populi Romani & causam sustinere, & maiestatem tueri. Aliud odiosa in dicendo ac loquaci procacitate, reo impuris maledictis conuitium facere. Aliud proterua impudentia, in alterius mores petulanter inuadere. quod isti unum egregie norunt. Aliud in iudicijs reum legitime accusare. quod quid sit, prorsus ignorant. Accusatio enim ( quod eos lex Iulia publicorum iudiciorum docuisset ) libelli inscriptionem desiderat, criminis definitionem, hominis notam, loci designationem, temporis indicationem, consiliorum rationes, argumentorum probationem, testium confirmationem: quorum isti nihil omnino præstiterunt, sed quicquid in buccam uenit, id in nos omne statim coniecerunt, ignari uidelicet, quantum maledicto ab accusatione, conuitium à criminatione distaret. Qua quidem in parte mirum Patres



tres conscripti quàm disertus & sibi & gregalibus suis  
 adolescens iste sit uisus : ut in eo supra omnem sibi mo=  
 dum ipse placuerit : ut actionem eius isti subinde exoscu=  
 lati sint : ut eum, si deo placet, populi Principem, id' que  
 Græce statim consalutarint, quòd in me, non lepidè qui=  
 dem & urbane aut etiam astute, sed contrà atque æta=  
 tem istam decebat, fractis uerecundiæ repagulis, tremen=  
 ti & furiosa uoce debaccharetur, euomeretq; non quæ  
 persona mea suscipiat, sed quicquid in nequissimis isto=  
 rum sodalitatibus celebrari fieriq; didicerat. Quo sane  
 factò, nihil est quòd te nunc quidem pulchrum ac beatum  
 putes, aut in eo tibi nimium posthac infelix adolescens  
 blandiare, quasi me apud populum Romanum luculen=  
 te calefeceris, quòd nefaria de nobis multa & perniciofa  
 sis concionatus. Infelicem iccirco te appello, quòd non  
 satis animaduertas, istos & hic adolescentiam tuam tra=  
 ducere, & pudorem tuum prostituere, quin etiam sini=  
 stram de te populi Romani opinionem confirmare : cui  
 falso fortasse illo, sed certo tamen & constanti rumore,  
 in suspicionem mentis parum compositæ iam olim ueni=  
 sti. Quis enim te sanum esse, nec de potestate exisse iam  
 putet, cum annos uiginti natus, Romæ educatus, huius  
 in urbis semper splendore uersatus, & institutus, non  
 modo non uideris, quod uel cæci uideant, istos ad hu=  
 iusmodi orationem, ætate tua hic abuti : sed tibi etiam  
 eorum uerbis stulte persuaseris, te hominum admira=  
 tione in cælo statim fore, si effrænato ore, illoto ser=  
 mone, obscæna loquacitate, inusitata rabie in conspe=  
 ctu S. P. Q. R. ea ad istorum maledicendi libidinem,  
 nullo teste, nullo testimonio, nullo autore, nullo ru=  
 more, breuiter sine ullo signo, sine ulla etiam leuissima



suspitione impudenter in me coniecisses, quæ mediufi-  
 dius nec in me hæere possunt, & tam longe absunt à mo-  
 rum meorum innocentia, quàm ab ætatis tuæ pudore ab-  
 fuisse debuerant. Verebare (credo) ne te parum arcanis  
 illis horis profecisse existimarem, nisi in me laceffendo  
 hic patefecisses, qua te dicendi facultate religiosi isti tui  
 doctores instruxissent: cum tibi alijsq; præterea paucis in  
 illo impudentiæ & impudicitia ludo non hieroglyphicas  
 modo illas Aegyptiorum literas exponūt, sed uobis etiam  
 solis mortalium iam cognitos perlectosq; mysticos illos.  
 Cuius nam autoris? Recte admones. Elephantidis libel-  
 los esse dicebant, Milesiacos item Aristidis, & Sybariti-  
 cos Hemitheonis sermones, quos in operto religiosissime  
 isti enarrarent atq; interpretarentur. Sed certe est cur te  
 in culpa agnatorum tuorum excussem, quos & ætati &  
 moribus & linguæ tuæ moderari sane oportuit, quem eo  
 uidelicet esse ingenio scirent, qui neq; mente neque ora-  
 tione confisteres. Ne mihi, quod isti te docuerunt, decla-  
 mationem meam, tanquam uobis aliquando maledixerint  
 ipse, hic obieceris. Quid simile? Ego enim Limini Pycto-  
 num & semel, & penè puer: tu Romæ adulta ætate, ite-  
 rum: ego in scholis, tu pro rostris: ego inter pueros, tu  
 in populi Romani concione: ego coram ludimagistris, tu  
 apud amplissimum ordinem: ego in re ludicra, tu in capi-  
 tali iudicio: ego hætenus ut rerum fidem non excederem,  
 tu quatenus istorum odium & inuidia stimularent. Ne  
 multis, ego quasi aliud agens nec animo accusatorio, nec  
 obscœne cum ijs pueriliter disputabam, & qui Christia-  
 næ pietatis omnino expertes fuissent, & quorum (ut est  
 apud poëtam nescio quem) Flaminia regitur cinis atq; La-  
 tina. Tu uero furens & exanguis, nec longa minus quàm  
 impudica



impudica & falsa & atroci oratione, in ciuem tuum & hominem Christianum, nulla ab eo iniuria laceſſitus, impetum facis, & crudeliſſime irruis. Siquid in illa fuit, quod parum amice in maiorum aliquem ueſtrorū dictum uideri poterat: tantum abeſt ut id ego unquam probarim, ut etiam uir factus quinque ſtatim uoluminibus emēdarim: cum tu interim hoc ætatis, in eo nulla quidē uenia pecces, de quo me nunc capitali iudicio inſectaris, & hic maledicendi morbum nobis obijcias, qui hanc potiſſimum accuſationis partem tibi depoposceris, ut omnes omnium ætatum conuitiatores proterua iſta tua procacitate longe ſuperatos oſtenderes. Ego ſane quod quidem memini, certos homines, tuis iſtis ſodalibus audacia ſimilimos, ſemel tantum, atque tum etiam magnis de cauſis, & abſque ulla impudica uoce grauiter accuſaui: præterea neminem: cū multos contra iuſtis ſecretisque operibus ſummo ſtudio laudarem, atque inter eos, ne quem de ijs qui uiuunt nominem, M. Tullium Ciceronem, Cn. Pompeium Magnū, C. Plinium Secundum. Ad hæc etiam iuris prudentiam, paupertatem, Chriſtianam perſuaſionem, denique Italiae felicitatem, urbis huius præſtantiam, populi Romani uirtutem, imperij ueſtri amplitudinem luculentis orationibus celebraui: ut intelligas nihil me unquam prius habuiſſe, quam ut multorum laudibus bene dicendi facultatem mihi compararem. Quam quidem uiam, ſi tute ad eloquentiæ famam, ineuntisque ætatis commendationem tibi nuniendam duxiſſes, oratione fortasſe aliqua tolerabili, laudem, non maledici & indocti hominis nomen ex criminosa iſta & petulanti & ſurioſa accuſatione tua retuliſſes. Sed hic fortasſe adoleſcens non tam grauiter obiurgandus eſt, qui me alieno impulſu & ſcripto, ſuo autem tantummodo



ore tam impure criminetur, quàm subscriptorum eius refutanda maledicendi licentia: ad quorum tamen probrosas compellationes omnes, hoc unum mihi, puto, dictum sufficiet: Nihil esse neque facilius, quàm ut qui impure uiuunt, impure etiam loquantur: neque difficilius, quàm ut insanis quisquam & furiosis conuitijs fidem apud æquos iudices faciat. Atque nescio an uobis Patres conscripti, mihi certe (quãquam uituperationis insolenti) minime tamen mirum erat, quòd omnibus probris ab istis tam petulanter profunderer, quos scirem ignauorum canum ritu, non quidem pro ueritate, sed pro consuetudine sua latrare. Isti enim sunt Patres conscripti non iam pueri, aut qui rerum imperitia, aut nunc primum peccent, sed quidam ad unguem facti, quiq; ad male tum dicendum, tum audiendum, impudens os circumferant, homines: quorum famosos & anniuersarios libellos sub ipsum potissimum marum Marcianarum supplicationum diem, ad eam, quæ Circo Flaminio proxima est, Herculis statuam propositos uulgus palàm lectitat, atq; etiam describit. Isti sunt, quorum in præclara illa nequitie officina, portentosos illos arcanarum libidinum autores, & lasciuißimas secessus Capreensis Tiberij picturas, diligenter conseruari, magno que paucis adolescentibus ibidem explicari per sepe audistis. Isti sunt, qui cum in cœno omnium uitiorum uolumentur ipsi, tamen nulli sexui neque ætati neque ordini, magno populi Romani dolore parcunt. Isti sunt, qui occultato nomine suo, eos tantum & hos ipsos quidem nominatim, insigni ad dedecus carmine quotannis insectantur, quos moribus suis multo dissimilimos, hoc est probos, & antiqui moris homines esse cognoscant. Isti sunt, qui in Petrum Haccium et Marianum Castellanum



num, uiros clarissimos, summa'que & humanitate & sapientia & integritate praeditos, tetram illam suam maledicendi licentiam petulantissime exercuerunt. Isti sunt qui in Petrum Bembum, & in Iacobum Sadoletum: at qua dignitate? qua doctrina? qua uirtute uiros? impurissima illa sua uerborum procacitate nuper incurrerunt. Sed quid hos ego colligo? quasi aut omnes eos percensere hic habeam, in quos isti, modo animi causa, dum quantum maledicendo ualent experiuntur, modo serio, dum furiali rabie conati feruntur, debacchantur. Aut isthuc iam leue sit impiæ ipsorum audaciæ testimonium, quod ne Decimo quidem ipsi Leoni Pont. Maximo unquam pepercerint, idq; unam plane ob causam (nam quænam alia demum esse possit?) quod incredibilem eius in constituenda atq; componenda Christiana rep. & uirtutem & felicitatem omni esse laude maiorem intelligerent. Insectatur enim hoc hominum genus, non probrosos aliquos & nihili homines, id est, istos Epicuri admiratores, uoluptatis laudatores, quibus propter morum similitudinem ulro ignoscunt, atque adeo libenter fauent: sed spectatos excellenti aliqua aut uirtute aut dignitate uiros, quorum criminatio nec obscura, nec uulgo ingrata esse possit. Siquidem ea est multitudinis natura, ut pro se quisque Principum uirorum obtrectatione in primis delectetur. Prorsus ut si quis hodie apud honestos magnosque homines bene audire cupiat, huic in primis optandum sit, ut triuiali istorum & scurrili conuitio uulgo male audiat. O coenum: O labes. Ita ne uero, præpostero hoc uestro ingenio? Verum nolo quæquam in istos incitare, quos uideo bonis omnibus, & infami illa sua uel stultitia uel in-



uidia, satis poenarum dare, & pondus procaci isti suae ac-  
 cusationi perpetuis iurgiis conuitijsq; detraxisse. Pro-  
 inde nihil est quod à me suis istis moribus dignum quic-  
 quam, & parem in eo gratiam expectent. Ego enim cum  
 facile patior me eorum petulantia superari, tum uero cer-  
 te commissurus non sum ut ipsorum insectando iniuriam,  
 illos imitatus dici possim, quos cum nulle alijs nominibus  
 nunquam probaui, tum quòd ore improbo ac perfrecta  
 fronte in optimum quèq; canina illa sua facundia priua-  
 tim publiceq; grassarentur. Atq; ut ad id semel ueniam,  
 quo uos ij, qui perorandi locū sibi sumpsere, minaci uultu  
 monebant: uideretis etiam atq; etiam, ne me, quem po-  
 pulus Romanus damnasset iam suo iudicio, ipsi senten-  
 tijs uestris absolueretis. Ego uero Patres conscripti, ut  
 me populus Romanus damnarit, non uideo, si ad cau-  
 sam dicendam, magno ciuitatis consensu sum admissus,  
 si omnium ordinum principes, omnes Consulares, o-  
 mnes Prætorij, omnes Aedilitij, omnes Quæstorij, si de-  
 niq; quicumque dicendæ in Senatu sententiæ ius habent,  
 huc conuenerunt, me ut causa cognita, pro animi sui sen-  
 tentia aut retinerent, aut ex ciuitate expellerent. Nam  
 quid attinebat mihi pro me dicendi potestatem facere, si  
 tristi illa litera me omnes iam defixerant? aut cur uobis  
 hæc quoque salutaris data est, si absolui non poteram? nisi  
 uero ut iam olim, sic etiam nunc, uos in incertum euen-  
 tum, autores eorum fieri omnium debere existimāt, quæ-  
 cunq; collectitia aliqua operarum manus aut theatriali si-  
 gnificatione, aut concionali clamore iusserit. Atqui lon-  
 ge alia iuris ratione hodie utimur: nec concitatæ ple-  
 bis studijs, sed constanter Senatus consilijs reipub. guber-  
 natur, atque ita denique multitudinis scita legum uim  
 accipiunt



accipiunt, si ea Patres autoritate sua comprobarint. Faciunt isti nimirum, quod in populari actione factiosi calumniatores solent: desperata uictoria, ad minas conuertuntur, speciosis se titulis ornant, reum omnibus probris onerant, iudicū animos nunc obliqua oratione sollicitant, nunc apertis minis territant. Nam cum sub accusationis suae exitum sensissent eum non excitatum esse animorum motum & assensum, quem initio sperassent (nihil enim huc se suaq; dignum causa, praeter hos & perpetua conuitia attulerant) mira, inquam, illa uestra animi aequitate, uel aduersa potius admurmuratione perculsi, in eodem statim uestigio, fraudis diuerticulum omnino illud, sed imperite sane ac impudenter nimis excogitarunt: cum propè munitabundi exclamare & iurgio contendere coeperunt, uideretis diligenter nequid temere aduersus sese dignitatis Italicae uindices, Romanae maiestatis assertores, pronunciareris. Esse me Italiae inimicum, huius reipublicae hostem acerrimum: omnibus uos ciuibus uestris, rem tum ingratā, tum inuisam facturos, nisi me nō solum è ciuitate uestra extruderetis, sed etiā tota Italia exterminaretis. Sed qui, per deum immortalem, hi porro sunt, quorum praedicia ciuitatis instar haberi contendunt? Quinam hi, inquam, qui me indicta causa damnarunt? Non uos Patres conscripti, qui me ad causam dicendam admitteritis, uos huc religiosissimorum iudicum, non accusatorum animum iratorum attulisse mihi persuadeo: non tot lectissimi ciues uestri, quos hic de incolumitate existimationeq; mea mirandum in modum sollicitos uidetis. uidetis autem Porcios, Fabios, Torquatos, Cincios: uidetis Perleones, Aescalos, Gotofredos, Salaminius: adsunt Albarini nobis, Alterij, Piti, Cossari: adsunt Rustici, Palini, Mutij,



Tomarotij, adsunt Caselij, Maximi, Magdalenii, Thebolicum: denique in subsellijs nostris uidetis Casarellos, Castellanos, Nigros, Alexandrinos: quos quidem nulli aduersariorum meorum, neque in hanc rempublicam charitate, neque generis nobilitate, neque uerò animi consilij ue magnitudine cedere compertum habetis. Quòd si tot ac tantorum ciuium uestrorum consensus, salutem dignitatemq; nostram tam negligeret, quàm ut ea incolumi perfruamur laborat: an non tamen uobis causam meam probarent præclara ista amplissimi collegij lumina, atque adeo Christiani orbis, nedum huius urbis, quasi quidam adamantini cardines, Pompeius Columna, Alexander Pharnesius, Alexander Cæsarinus, Ioannes Dominicus Monfalconius? qui ut moris sui, ac penè etiam amplissimi sacerdotij decoris obliti, sic in patriam amore accensi, cuius esse è re sibi persuaserunt, me hac in ciuitate retineri, etiam aduocatorum meorum numero haberi uoluerant, cum publici iudicij consilio non interesse modo, sed suo etiam quodammodo iure præesse potuissent. Intelligo Patres conscripti, quàm leuiter hac orationis meæ parte defungar, in quam sane par esset, ut omnibus ingenij mei uiribus incumberem. uerum meus mihi pudor obstat, neque sane patitur, ut quenquam ob hos collaudem, aut præsentium auribus aliquid tribuisse uidear: nedum ut huius aduersus me inite conspirationis autores ducesque (etiam si id mihi per eorum audaciam solutum esset) suis hic coloribus depingam: quod tamen idcirco æquum erat, ut ex præclaris eorum personis de eximia cæterorum, qui me de ciuitate tollendum esse contendunt, dignitate coniecturam facere possentis. Quæ quidem omnia, eo quod dixi consilio, à me prætermissa, non modo mihi apud uos  
non



non fraudi, sed etiam omnino laudi fore confido, quòd rem tantum animis uestris per se æstimandam, æquitati uestre dijudicandam prorsus reliquerim. Adijciebant accusatores mei, nonnullos quidem esse, qui causam meam publice tutarentur, sed multo plures numerari, qui me priuatim oppugnarent. Quòd, ut ita sit Patres conscripti (nec enim negare possum aliquos esse, sed ij certe admodum pauci sunt, in quos tanta cadat illiberalitas) erit tamen uestre religionis, in iudicijs eorum rationem habere, non qui more hominum, inuidet in conuiujs, radunt in circulis, uellicant in sessionibus: sed eorum qui me in Senatu Populi Romani testimonio suo constanter & aperte subleuant, horum honestum iustum que ducere auxilium, illorum turpe flagitiosum que arbitrari consilium. Palàm fit quicquid honeste fit, præsertim si nec metus ullus obest, & id tam populare est, ut in eo permagnam ciuium tuorum gratiam inire possis. Flagitiorum conscientia uix unquam in apertum prodit, domi se continet, aut certe inter sceleris sui conscios delitescit. Quòd si me propter obscuras dubias que nescio quorum hominum obtreccationes, urbe Roma eijciendum censetis: quòd erit apud uos loco tot ac tantorum ciuium principumque uirorum autoritas? qui me hic non modo ut dignitatem meam obtineam, dignum censent, uerum etiam si ciuis non essem, asciscendum ultro in ciuitatem arbitrantur. Nam quòd de principibus quidem in Republica uiris unum nominare sunt ausi, quem causæ meæ palàm aduersari contenderent, M. Antonium Columnam, cuius uiri iudicio tantum equidem semper tribui, ut si me ciuitate uestra indignum hic hodie censeat, sim protinus de iure  
meo



meo decessurus: credite Patres conscripti isthuc ab accusatoribus meis impudenter ac callide confictum esse, nec quòd ita se res haberet, sed ut scrupulum dubitationemq; aliquã ex tanti uiri autoritate animis uestris inijceret, de illius uoluntate ac sententia sese iactasse. Nec enim postquam ciuitate donatus sum, in Senatum ille uenit, sed nec multis mēsis hoc in loco uisus est. Verū demus id eis, de quo potissimum nituntur, pressisse me sententia sua M. Antonium Columnam. Vbi? non quidem in foro, non in Senatu, non in concione: sed domi cum eum mendacijs uestris fallacissimis insidiosissime onerassetis. Quando? imò quàm pridem? Nempe sub huius à uobis excitati tumultus exortum. Quid quòd mihi hodie non aduersatur? Quid quòd hac de re consultus, haud semel respondit, iniquum aduersum me & nouum ius postulari? quo nihil est causæ nostræ conducibilius. à solis ignaris literarum me oppugnari? quo nihil est nobis honestius. à doctis bonisq; subleuari omnibus? quo nihil mihi gratius, neque etiam incundius cadere possit. At dixit sibi non placere quòd in Romanos olim scripsisses. Nec enim ego bone adolescens, si in populum Romanum scripsissem, id utique probare. Dixit eo nomine hac te ciuitate esse indignum. Iam quibus hoc testibus probas, si nego? sed ut dixerit, tum certe dixit, cum mihi pro me dicendi potestatem Senatus nondum fecisset, cum ipsum amicorum meorum nemo causam nostram adhuc docuisset. Quàm multos reris eorum quos hic mihi adesse uides, ad primam accusationis uestre famam, contra me inuectos esse? Equidem initio nullius fere uerbo subleuabar: una omnium uoce non tam ad iudicium quàm ad supplicium uocabar. Breuiter,  
tanto



tanto eram in odio, ut & uulgi sibilis, & honestiorum sermonibus & potentium minis exagitatus nusquam consisterem: neque uero mihi de retinenda ciuitate, sed de capiendo quasi exilij loco cogitandum esse uideretur. Iam tamen uides magna ex parte & inuidiam illam conuenisse, & tumultum resedisse, & bonos omnes quos in me concitaueratis, à spe uestra ad tuendam salutem dignitatem que nostram, æquitate causæ esse traductos, optimam que si minus numero, at dignitate ciuitatis partem nobiscum facere atque sentire. Sed ut ad M. Antonium Columnam reuertar (quem honoris amplitudinis que causa semper nomino) si quid sub huius tumultus exortum, aduersus me dicere uisus est, non tam eò dixit, rebus meis ut officeret, quam ut ne uobis, nominis Romani præpostere & absurde studiosis, parum amans patriæ uideretur. Vir nimirum ut bello inuictus, sic etiam sapiens & alta quadam mente præditus, ne hodie quidem in me iuuando idem sibi quod cæteris licere existimat. Scit me esse sibi amicum, nec id uulgo ignotum: scit se summa necessitudine Francorum regi deuinctum, quicum nos etiam sumus in gratia. Quid tum? ueretur, ut si populari istorum actioni obuiam eat, satis in patriam pius, ne nimis in me Francos que indulgens existimaretur. Scit alia item multa, sed illud maxime, quamuis atrociter à principio dixerit, quamuis nullum reconciliatæ uoluntatis significationem adhuc dederit, uos tamen æquissime iudicaturos, nec ob priuatæ ullius suæ opinionis suspitionem, me à uobis damnatum iri, cuius aduocationem tanta ciuium Romanorum nobilitas, tanta omnium ordinum dignitas, studio, frequentia que sua cohonestaret. Quid dicitis? monitos  
ab eo



ab eo clam Consules, ne secundum me litem darent? Ne quid hic de iustissimorum Consulum ipsorum uirtute atque constantia dicam, quos nec a uobis sceleris & perfidia turpiter insimulari animaduertitis, nec ego in uos per me incitatos hic uelim? An non saltem intelligitis homines stultissimi, non tam causam meam, quam M. Antonij famam, in discrimen a uobis uocari? cui sic quidem certe uilem timidi illiberalis que hominis personam imponitis. Ita est Patres conscripti, quemadmodum dici solet: Mendacia inter se coherere non possunt. Qui dicunt M. Antonium modo hoc, modo illud, modo clam, modo palam, res que adeo tum inter se, tum cum eius quem autorem laudant uirtute pugnantem dixisse: ij certe nec quid dicant attendunt, nec eorum quae afferunt quicquam cum ueritate coniunctum esse satis ostendunt. Atque ne mihi conatus, concursationes que uestras, et inita de me consilia ignota esse arbitremini, Scio uos quidem ad M. Antonium nullo non die accessisse. Scio uos ei nobiles quosdam homines quotidie allegasse, qui ab eo omni studio contenderent, ut hoc in iudicio uobiscum me oppugnaret, scio. Verum cum ille nulla sibi ratione huc ueniendum putarit: an non eius quidem prauiudicio causam uestram iam damnatam uidetis? Nam si aut uos ius postulare, aut id e republica usu fore duxisset, profecto nec uobis, nec amicis, nec populo Romano unquam defuisset. Quod si praesens ille praesentem me grauissime hic accusaret Patres conscripti, iudicaretis tamen, opinor, e uestra esse dignitate illius in me crimen non accipere, ne non tam ulla mea in populum Romanum iniuria, quam ipsius potentia in conspectu uestro proteri atque conculcari uiderer



derer. Sunt enim hoc iure atque instituto maiores uestri  
 usi, ut reos etiam manifestissimis iudicijs et religiosissimis  
 testibus conuictos statim liberarent, qui quidem nimis  
 magnis aduersariorum opibus obruerentur. L. quidem  
 Scipio Aemilianus, cum post duos insignis Consulatus,  
 post deletam Carthaginem, post euersam Numantiam,  
 L. Cottam apud populum accusasset, reum peragere non  
 potuit. Quid ita? quod uereretur populus Romanus ne  
 accusatoris amplitudini damnatio eius condonata existi-  
 maretur. Sic Sergium Galbam, M. Catoni uiro & con-  
 sulari, & triumphali, & censorio, & quod caput est,  
 sanctissimo, in perniciem eius iustissimis de causis incum-  
 benti, idem populus Romanus eripuit. Sic L. Muræna  
 ambitus omnium iudicio conuictus, Sergium Sulpitium  
 & M. illum Catonem Uticensem euasit. Florebant hi  
 quoque summa uirtute, summa dignitate, summa gratia:  
 sed tamen indignum ijs, qui tum res iudicarent, sua reli-  
 gione uisum est, eo modo quenquam in iudicio cadere, ut  
 summo accusatoris splendore quasi ui quadam maiore  
 oppressus damnatusque uideri posset. Idem de M. Anto-  
 nio Columna, si quidem ab istis contra me hodie staret,  
 statuendum uobis esset Patres conscripti. Summæ eius fi-  
 dei, summæ integritati, eximie dignitati, tantæ quantam  
 his uirtutibus meretur autoritati, denique tot hostium  
 spolijs, tot trophæis, tot triumphis locum daretis, ad o-  
 pem quidem supplicibus ferendam, ad excitandos affli-  
 ctos, ad liberandos periculis innocentes: in discrimine  
 autem & exitio miserorum ciuium, ea omnia repudia-  
 retis, iuberetisque ut aduersus armatos populi Ro-  
 mani hostes in bello, magnis his suis opibus uteretur,  
 in iudicio & in Senatu reos uestros ne infectaretur.

Verum



Verum cum me nec ipse, nec bonorum fere quisquam  
 hodie insectetur, faciant autem hi mecum omnes, propè  
 quos hic intuemini: nō uideo nec quid uos Patres conscri-  
 pti amplius desideretis, nec quam accusatores mei spem  
 habere iam possint. Si bonorum consensus plurimum ua-  
 let, omnium à me stant ordinum principes: si causa su-  
 perior sum, tum iure, tum æquitate. Intercedunt Sena-  
 tusconsulto ij qui publico in iudicio consistere uix pos-  
 sunt. Causæ meæ accedunt Plebis Tribuni, quibus more  
 maiorum solis intercessio concessa est: atque ea ipsa tum  
 denique cum Senatusconsulta fiunt, non cum præscripta  
 sunt. Induci postulant publici consilij decretum adole-  
 scentes, cum id uim legis habeat, nec de illo, sed secundum  
 illud iudicandum sit. Reuocari donationem priuilegio  
 contra ius omne atque fas postulant, cum propter solum  
 ingrati animi crimen ea rescindi soleat: nec ego antè in-  
 gratus esse potuerim, quàm uos me beneficio uestro or-  
 nassetis, nec postquam ciuitate donatus sum, quicquam  
 contra rempublicam fecerim, aut etiam dixerim. Oratio-  
 nem quandam obijciunt, quam meam esse cum ipsi nullo  
 modo probare potuissent, & ego in tanto capitis mei  
 periculo ignoratione uestra ad salutem meam iure abuti  
 possem: tamen cum innocentia meæ conscientia, tum  
 æque clementia uestra fretus, agnoscendam hoc in loco  
 existimaui. Neque enim eam in uos habui, quod uobis  
 multis argumentis planum feci: neque mediusfidius emi-  
 si, quod inde uobis liquet, quòd librarij temeritas Pari-  
 siensem inscripserit, id haudquaquam facturum, si me con-  
 sulto eam edidisset. Peruulgatam quidem illam isti osten-  
 dunt, sed neque me autore, neq; meo sane mandato exisse  
 docent. Si in uos studio animoq; dixissem, si scriptam in  
 apertum



apertum protuliffem, me tamen & ætatis & neceffitudi-  
 nis excufatio defenderet. habita eft enim à me adhuc pe-  
 nè quidem impubere, minime certe idoneo, qui imperan-  
 tis dicto non audirem. Nam quòd odio me ad eam fcri-  
 bendam adductum effe contendunt: quæ mihi in uos fcri-  
 bendi caufa effe tum potuit, fi præceptis & artibus ue-  
 ftris ad iuftitiam atque religionem fingebar? Vt in ea ali-  
 quid offenfum, & in tranfcurfu temere dictum fit, quo  
 populi Romani nomen perstringi uideatur: id mihi ta-  
 men quinque orationibus de induftria in urbis Italiæq; lau-  
 dem uirili iudicio, non ut tum puerili ftudio conſcriptis  
 uideor redemiſſe atq; compenſaſſe. Quòd Gallos ac Ger-  
 manos ciuitate arcendos effe contendunt, ridiculum id  
 & falſum effe oſtendimus. Quòd non fim bonarum ar-  
 tium tam rudis, loco tam humili natus, tam obſcurus, ut  
 ciuitate ueſtra eijci debeam: id partim tot eruditiffimo-  
 rum uirorum testimonijs, partim tot principum diplo-  
 matis demonſtrauimus. Ad ſummam, ſi deſenſionis noſtræ  
 ſunt autores, ciues ueſtri omnes, quoſcunq; & uirtute  
 optimos, & doctrina eruditiffimos, & dignitate amplif-  
 ſimos effe conſtet: nihil uos iam moror Patres conſcripti  
 quo minus de me in conſilium ſtatim eatur, modo illa o-  
 mnia ante oculos ueſtros proponatis. Primum uos hic ha-  
 bere ſupplicem re... nullo odio, multa miſericordia di-  
 gnum. etenim qui ob puerilis modo linguæ lubricum pe-  
 riclitetur, cum tota eius interim uita adeo non improbe-  
 tur, ut ne accuſatores quidem ipſius, tam petulantes, tam  
 maledici de certo præterea crimine eum poſtulare ſint  
 auſi. Deinde eum qui fidem ueſtram ſecutus, ſe uobis tra-  
 didit, & in ueſtra manſuetudine, atq; clementia cauſam  
 totam repoſuit, nec enim eorum quenquam quos ab ad-  
 uerſarijs



uersarijs meis inflammatos, hic in me confessuros audiebam, eiuravi; nec iudicium uestrum cum isti à me, & Senatus autoritatem imminutam, & Pop. Rom. maiestatem laesam esse criminarentur, detrectavi. Tum etiam illud cogitatote, Maiores uestros, in obtrectatores Imperij sui hac semper usos esse animi altitudine, ut eos non modo, quos leuitas eò impulisset, contemnerent, quos stultitia, miseratione dignos iudicarent: uerum etiam quos malicia & odium commouisset, uenia donarent. Idq; cum alijs (opinor) de causis multis, tum uero illa, ne populi Romani magnitudo uerbis lædi posse uideretur, si uerbis aut offenderetur, aut omnino commoueretur. Profecto si Camillos, Catones, Curios, Marios, si eos deniq; omnes quos ab aduersarijs meis ad causam in me tragice perorandam ab inferis excitatos nuper audistis, ipsi sententiam hic rogare possent: opinor, non modo mihi libenter concederent quòd id ætatis meo iure in scholis usus libere declamassent: sed istos etiam grauissime obiurgarent, atq; adeo hac ciuitate nominèq; Romano plane indignos iudicarent, non dico quòd tantum turbarum in urbe terrarum principe tam nulla de causa concitassent, sed quòd de puerili quadam & scholastica declamatiuncula uti iudicium apud Senatum populumq; Romanum exerceretur, omni studio contendissent, cum quidem res ipsa uix digna esset de qua aliquot ludimagistri religiosius cognoscerent. Sed quando istorum artificijs & audacia tantum excitatum est incendium, ut id nisi uestro iudicio extinguui non possit (ipse quidem certe in summo uersor discrimine, quasi de Senatu populoque Romano, olim & male senserim & pessime sim locutus, qui quidem de ciuitate uestra tanquam de generis humani parente  
semper



semper tum cogitavi optime, tum uero scripsi & uerba feci honorificentissime) facite ut & illud quoque uobis in mentem ueniat Patres conscripti, neminem esse hodie neque superstitiosorum Arabum, neque pertinacium Iudaeorum, neque plane Turcarum nobis infestissimorum hostium, quin si ad nos transiens in hac urbe nomen Christo dederit, sit tamen & Christianae reipublicae & ciuitatis uestrae honoribus nemine reclamante perfuncturus, etiam si Christianam persuasionem omnibus probris perfudisset, bellum Italiae terra mariq; intulisset, omni calamitatis genere sacram hanc urbem affecisset. Quod quidem maioribus quoq; uestris solenne fuit etiam tum, cum nondum uerae pietatis cultum accepissent: à quibus plerasque gentes, eodem die, hostium loco & ciuium numero habitas fuisse non nescitis. cum ego interim in uos consulto nunquam scripserim, nullam cladem uobis intulerim, nomen Romanum, quantum in me fuerit, celebrauerim, hanc urbem tam cupide incoluerim, sola penè ciuium Romanorum consuetudine semper oblectatus. Super haec omnia, illud uos ad extremum monitos, & per liberorum uestrorum indolem, qui aut nunc primum ad percipiendam dicendi rationem sunt ingressi, aut ea etiam inter aequales suos iam florent, obtestatos uelim Patres conscripti, ne me ex hoc corporis habitu hic aestimetis, sed animo atque cogitatione efficit, ut eo uobis ante oculos ore nunc uerser, quali tum eram, cum illa à me impubere declamarentur: atque ita uobis in mentem ueniat, me qui uix è pueris excessissem, ea de causa in capitis discrimen uocari, quòd oratione mea plusculum rebus Romanis inuidiae, quam ueritas ipsa & res concederet, aspersum esse existimetur. Nam cum alienum certe sit ab

h 2

aequitate



æquitate uestra, & hanc ætatem, quæ non modo nihil in  
 uos peccauit, sed etiam de nomine Romano benemerita ui  
 deatur, famæ capitique; damnare: & immaturæ illius nul  
 lam rationem ducere, cui omnes leges uestræ præsertim in  
 linguæ lubrico, uti subueniretur decreuerunt. tum uero pe  
 riculum est, ne si quid ea de causa grauius in me decernatis,  
 eodem ipsi tempore nouum & acerbum in liberos ue  
 stros ius constituatis, quos ea credibile est uel sua sponte,  
 uel à magistris suis iussos & dicere, & interdum scribere,  
 quibus in apertum prolatis hoc à uobis introducto iure  
 capitum iudicium aliquando subire cogantur. Non pos  
 sum hic ego uobis Patres conscripti pro capitalium iudi  
 ciorum more, parentes, fratres, propinquos affines que  
 meos adhibere, qui ignominiam hanc unà mecum à uobis  
 deprecentur, rogentque; ne hanc generi nominique; nostro no  
 tam inuratis: ut me, quem nuper ciuitate frequenti Senatu  
 post hominum memoriam munificentissime ornatissimeque;  
 donastis, hodie ab eadem turpiter expulsus, Italiæ inimicum,  
 huius Reipub. hostem iudicetis. longe enim absunt  
 gentium infelices, non huius modo mei periculi omnino  
 ignari: sed fortasse inter se, absenti mihi ciuitatem uestram  
 adhuc gratulantur, cum hic interea ex beneficio uestro  
 exitium mihi comparetur. O miseram & celerem fortunæ  
 commutationem: O præproperam amicorum meorum gra  
 tulationem: quàm subito illa omnia ex gaudio & letitia,  
 in mœrorem tristitiamque; abitura sunt? quàm præter om  
 nium bonorum spem futurum, ut qui uestro iudicio he  
 ri sociorum unus quasi excellenti quadam uirtute & do  
 ctrina præditus ciuis Romanus haberer, retineam hodie  
 nullum non dico ciuitatis uestræ, sed ne pristinae quidem  
 dignitatis nostræ uestigium. Cur me infelicissimi parentes  
miserri



miserrimum Romanis literis instituendum curastis? An  
 ut ob ingenuam eis nauatam operam, urbe Roma contu-  
 meliose aliquando eijceret? O studia, O literæ: siccinè  
 male uertistis, ut inde mihi capitis periculum impendat,  
 unde ingenij laudem & uigiliarum mearum fructum ali-  
 quem cepisse par fuerat? Ita ne uero ex ultimis terris, à  
 meorum complexu, omnibus inuitis, multis retinentibus,  
 tot prætermisissis publicorum, tot spretis priuatorum com-  
 modorum facultatibus, solo urbis uestræ uisendæ colen-  
 dæq; studio, huc properaui demens, ut post celebratam  
 urbis Romæ & Italiæ laudem atque gloriam, per sum-  
 mum dedecus hinc tandè ipse expellerer? Sed quò me iam  
 conferam? Ad meos ne, quos præ uobis contempsi? Ad  
 amicos, quos neglexi? quibus ut placatis uti iam possim:  
 sustinebo ne tamen ut ij me spoliatum à uobis omni digni-  
 tate conspiciant, qui me nuper à Senatu populoq; Roma-  
 no omni honore cumulatum audierant? Sed possim sane  
 ciuitate uestra cum multis æquo animo carere: ab ea ta-  
 men ipsa summo cum dedecore eiectus, ubi nam hodie gen-  
 tium honeste confedero? Atque ita est profecto Patres  
 conscripti, non tam de retinenda ciuitate, quam tamen &  
 germanæ patriæ, & multorum Regum pollicitationi-  
 bus anteposui, nunc laboro, quàm ut ne me aliquis hu-  
 ius reipublicæ hostem esse suspicetur, cum ego in uos o-  
 ptimo & fuerim adhuc, & semper futurus sim, etiam da-  
 mnatus, animo. Et quando eos ad quoscunque profuge-  
 ro, non leuiter miraturos esse certum est, eam mihi à uo-  
 bis ademptam esse ciuitatem, quam tum in ore semper &  
 in amore à nobis haberi uidebunt, tum etiam ingenij no-  
 stri monumentis decoratam esse compluribus aspicient:  
 quid illis me de iudicij huius ratione atq; calamitatis meæ



*causa interrogantibus respondere uultis? An uos de meo in populum Romanum animo istis credidisse, qui cum mihi tam crudeliter sint inimici, paucas tamen quasdam, easque ieiunas & frigidas & falsas ex declamatorio ac plane puerili nescio quo libello coniecturas sibi duxerunt: mihi quantumuis asseueranter id detestanti & execranti, amicum me populi Romani profitenti, innumerabilia eius rei non iam argumenta, sed plane indicia tot impressa uestigijs proferenti, nihil omnino credidisse? Quam hæc acerba sint, quam dura, quam ab æquitate, à clementia, à dignitate uestra aliena & remota, uidetis Patres conscripti. A propinquis nudus, nulla cognatione munitus, omni meorum præsidio destitutus, nullius patrocinio defensus, inuidorum obrectationibus irretitus, accusatorum calumnijs circumuentus, inimicorum conspiratione oppressus, inter optimam conscientiam & iniquissimam fortunam destitutus, peto à uobis ut cum sanctissimorum iudicum religione, tum constantis Senatus grauitate ac uestra potius omnino ratione, quam concitata plebis impetu moueamini, ne me, non ullo quidem meo in hac certe causa crimine, sed iniquo multitudinis odio in urbe Roma afflictum socij & foederatæ & externæ gentes omnes sibi persuadeant. Conseruate uestrum Patres conscripti beneficium: Reddite urbi ciuem, ciui patriam, patriæ dignitatem: Date hoc si non meæ innocentie, at Longoliorum generi & familie, quorum præclara hac in urbe monumenta uisitatis. Date hoc, si non tot doctissimorum hominum erga me studijs, at horum clarissimorum ciuium uestrorum precibus, at horum amplissimi collegij Antistitum commendationibus. Postremo date hoc Decimi Leonis Pont. Max. Principisq; Ro-*

*mani*



mani iudicio : ad quem cum summam rerum omnium potestatem, magno Deus hominesq; consensu detulerint, qua tamen is est in summo rerum fastigio modestia, monere uos atque adeo comiter rogare sustinuit, ne mihi puerilis illa declamatio fraudi esset, quominus ciuitatem hanc, qua me frequenti Senatu liberaliter donassetis, iudicio etiam uestro tueri atque retinere possem.

DIXI.

CHRISTOPHORI  
LONGOLII AD LV-  
TERIANOS QVOSDAM  
IAM DAMNATOS,  
ORATIO.



IEA esset apud me causæ uestre ratio, ut neq; uobiscum iam agi fas esse ducerẽ, & uos perpetuo quodam uoluntatis uestre iudicio ita de reip. Christianæ statu persuasos putarem, ut nulla cuiusquam oratione ab ista sententiâ deduci possetis: non equidẽ committerẽ, id ut negotij nũc deniq; suscepisse uideri possem, in quo nec à uobis, quibus maxime consultum uellem, ullã essem omnino gratiam initurus, & eos quorũ potissimum sequerer autoritatem, etiam grauißime offensurus. Vos enim consiliorũ uestrorũ conscientia freti, aut laborẽ hũc meum quasi inanem & superuacaneũ aspernaremini, aut me non tam rebus uestris consulere, quàm tẽporibus serui-

h 4 re, 46